



Reverendo admodum P. Patritio

in argumentum devoti animi,

A. J. Liagre, S. T. D.,

in Seminario Tornacensi S. Litterarum Prof.

INTERPRETATIO

EPISTOLAE CATHOLICAE S. JACOBI.

APPROBATIO.

Opus quod inscribitur : *Interpretatio Epistolæ catholicæ S. Jacobi, quam ad gradum Doctoris in S. Theologia in Universitate catholica Lovaniensi consequendum, instituit A. J. Liagre, S. Theol. Licentiatus*, ex auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Archiepiscopi Mechliniensis et legum Academicarum præscripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii die 6ª mensis junii 1860.

P. F. X. DE RAM, Rect. Univ.

INTERPRETATIO
EPISTOLAE CATHOLICAE
S. JACOBI,

QUAM


AD GRADUM DOCTORIS IN S. THEOLOGIA

IN UNIVERSITATE CATHOLICA LOVANIENSI CONSEQUENDUM,

INSTITUIT

A. J. LIAGRE,

S. THEOL. LICENTIATUS.



LOVANII.

EXCUDEBANT VANLINTHOUT ET SOCII,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI

PARISIIS.
APUD P. LETHIELLEUX,
Via Bonaparte, 66.

TORNACI.
APUD H. CASTERMAN,
Via vulgo rue aux Rats, 11.

1860

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

GASPARI JOSEPHO LABIS

TORNACENSIS ECCLESIAE EPISCOPO,

PIISSIMO, VIGILANTISSIMO, DOCTISSIMO,

SANCTISSIMI D. N. PRAELATO DOMESTICO,

SOLIO PONTIFICIO ASSISTENTI,

LEOPOLDINI ORDINIS EQUITI,

PER VIGINTI QUINQUE MUNERIS ANNOS

DE SCIENTIIS ECCLESIASTICIS BONISQUE ARTIBUS

OPTIME MERITO,

In perenne filialis amoris gratique animi argumentum;

ILLUSTRISSIMO, DOCTISSIMO, PRUDENTISSIMO

PETRO FRANCISCO XAVERIO DE RAM,

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PRAELATO DOMESTICO,
PROTONOTARIO APOSTOLICO AD INSTAR PARTICIPANTIUM,
UNIVERSITATIS CATHOLICAE RECTORI MAGNIFICO;

ILLUSTRISSIMO ATQUE EXIMIO

JOANNI THEODORO BEELEN,

SS. D. N. PII IX CUBICULARIO AD HONORES, S. C. IND. CONSULTORI, S. SCRIPT.
ET LINGG. ORIENTT. IN CATH. ACAD. LOVAN. PROFESSORI,

&

EXIMIO

THOMÆ JOSEPHO LAMY,

LINGG. ORIENTT. IN EADEM ACADEMIA LECTORI,

hanc suam lucubrationem devotissimo animo

D. D. D.

Auctor.

PRÆFATIO

Inauguralem pro gradu doctoris in S. Theologia consequendo, juxta præscripta academica, dissertationem paraturus, ad studia exegetica nescio qua interna impulsione ferebar. Quam cum attentiori perpenderem animo, ne inconsulto quid egisse me postea pœniteret, ut ipsi obtemperarem duo potissimum suaserunt rationum momenta. Hinc enim sacrorum librorum studia, quæ variis temporum difficultatibus in Belgio nostro quasi inculta diu jacuerant, sereniore aura redeunte, reflorescere videbam : his autem si pro virium modulo aliquid possem conferre, operam me non amissurum putabam. Illinc porro ea disciplinarum genera, quibus in alma universitate imprimis incubueram, in exegetica dissertatione facilius repræsentatum atque ex singulis utilitatem reportatum iri sperabam.

Equidem tentaminis difficultas meique ingenii imbecillitas me non penitus latebant. Verum jam dudum didiceram, improbum laborem, eum maxime quem gratia Dei, *scientiarum Domini*, fœcundet, omnia vincere. Divino itaque fretus auxilio rem iterum experiri volebam.

Vires quoque mihi unum addebat : ***methodum*** nempe, qua propositum opus prosequerer, explanatam et expeditam suppeditabant tum publicæ illæ prælectiones quibus Illustrissimus Beelen SS. Litterarum cathedram in Academia Lovaniensi

magis magisque in dies illustrat; tum doctissimi illi commentarii (1) quos, ab ipso editos, quotquot in hoc litterarum genere versati sunt jure mirantur. Nec illam fructibus suis solum, verum etiam venerandæ auctoritatis suffragio commendabilem valde reperiebam. Noveram quippe ipsam ab Em. Card. MAJO, cujus judicium in rebus hujusmodi maximi faciendum nemo negaverit, *sanam methodum divinos libros docte commentandi* esse nuncupatam (2). Et, quod majus est, sciebam SS. D. N. PIUM (Quem exaudiat Dominus in die tribulationis!) Illustrissimum Professorem, in litteris ad ipsum datis, his verbis compellasse : *Nec enim incompertum Nobis est, quantum judicio Tuo doctiores hujus ætatis philologi tribuant, Dilecti Fili, eamque præterea in sacris Scripturis interpretandis rationem Tibi proposuisse ex datis ad Nos litteris Tuis perquam jucunde intelleximus, quam Tridentina Synodus catholico cuique interpreti jure præscripsit servandam* (3).

De methodi præstantia securus, deque dilectorum Magistrorum ac Lectorum meorum benevolentia minime dubitans, impulsioni meæ jam cedere lætus præsumpsi.

Itaque ex N. T. libris S. JACOBI epistolam, quæ catholicorum interpretum aciem non adeo exercuisse mihi videbatur, selegi; et in ipsam commentarium exegeticum simul et dogmaticum edere constitui.

Deum Optimum et Immaculatam Virginem, sub Cujus auspiciis difficile opus aggressus sum et nunc in publicam lucem profero, enixe precor, ut hæ primitiæ laborum S. Scripturæ studiosis non prorsus inutiles, mihi porro salutiferæ plane evadant.

Scribebam Lovanii, in die festo S. Joseph.

(1) In *Acta Apostolorum*, Lov. 1850; in *Epist. ad Philipp.* Lov. 1852, et in *Epist. ad Romanos*, Lov. 1854.
(2) *Sano metodo di commentare dottamente i libri divini. Cf. Revue Cathol.* Tom. XIII. pag. 175. — (3) *Ibid.* pag. 532.

PROLEGOMENA

IN

EPISTOLAM CATHOLICAM S. JACOBI.

---

§. 1. *De denominatione epistolæ catholicæ.*

Epistola S. Jacobi inter septem illas reponitur, quæ a Græcis maxime Καθολικαι (1), a Latinis vero *Canonicæ* dictæ fuerunt. Quid porro significet denominatio illa καθολικη, hisce litteris tributa, certo definire in promptu non est. Nam neque ex ipsa etymo vocis, utpote quæ meram *universalitatis* notionem, absque ullo respectu ad illius universalitatis objectum, includat; neque ex primævo vocabuli

(1) Notandum tamen est, nonnisi in uno e quinque Codicibus uncialibus, qui epistolas catholicas exhibent, denominationem Καθολικην occurrere : in codice scilicet *Angelico*. Verum quidem est codices *Alexandrinum* et *Regium* titulo carere. Codices vero *Vaticanus* et *Mosquensis*, pariterque *Alexandrinus* in fine, simpliciter legunt : Ιακωβου επιστολη. Quod ad Minusculos codices attinet, multi pro titulo habent : Ιακωβου καθολικη επιστολη.

usu, res satis determinari potest. Notum quippe est vocem *καθολικην*, de scripto aliquo prædicatam, non unum et eumdem apud antiquos Ecclesiæ Scriptores significatum obtinuisse. Sic Clemens Alexandrinus (1) epistolam, quæ Act. XV. 23. sqq. legitur, *καθολικην* vocando, denominationis hujus rationem ex eo desumpsisse videtur, quod esset *επιστολη των αποστολων απαντων*.

Origenes vero quatuor epistolis epitheton *καθολικην* tribuit, videlicet : primæ Johannis (2), primæ Petri (3), epistolæ Judæ (4), ac demum epistolæ Barnabæ (5). Et tamen ipsum duas alias Johannis, et secundam Petri, sicut et illam Jacobi, præ manibus habuisse negari non potest (6). Itaque dicere nolim, a vero multum aberrare illorum sententiam, qui epistolam *καθολικην* apud Origenem epistolam *ομολογουμενην*, i. e. *omnium consensu receptam*, valere autumant. Et hanc quidem ultimam denominationem primæ Petri alicubi expresse tribuit (7), primamque Johannis tanquam indubiam semper recenset. Quod porro epistolam Judæ etiam pro apostolico scripto habuerit, dubitare non sinunt hæc ipsius verba : *Ιουδας εγραψεν επιστολην, ολιγοστιχον μεν, πεπληρωμενην δε των της ουρανιου χαριτος ερρωμενων λογων*, h. e. *Judas scripsit epistolam versiculis quidem brevem*,

(1) *Stromatum* l. IV. cap. XV. Opp. tom. I. pag. 219. Ed. Oxoniensis 1703.

(2) *Hom. IX in Jerem.* Opp. tom. III. p. 181. — *Comm. in Matt. t. XVII.* ib. pag. 797. — *Comm. in Johan. t. II et XX.* tom. IV. pagg. 76 et 369. Ed. Delarue.

(3) *Comm. in Johan. t. VI.* Ibid. pag. 135.

(4) *Comm. in ep. ad Rom. t. V.* tom. IV. pag. 549.

(5) *Contra Celsum* l. I. n. 63. tom. 1. pag. 378.

(6) Vid. *in lib. Jesu Nave hom. VII.* tom. II. pag. 412; cf. Euseb. *Hist. Eccl.* l. VI. cap. XXV.

(7) Ap. Euseb. loco statim citato.

sed sententiis cœlesti gratia roboratis refertam (1). Epistolam BARNABÆ canonicam pariter existimasse ORIGENEM, scribit COTELERIUS (2).

DIONYSIUM ALEXANDRINUM vocem καθολικην in eodem, quo ORIGENES, sensu usurpasse, exinde forsan concluderes quod primam JOHANNIS καθολικην quidem, secundam vero et tertiam φερομενας vocaverit (3). Non est tamen prætermittendum EUSEBIUM eam ipsam JOHANNIS primam, quam sæpe καθολικην dicit, φερομενην alibi nominasse (4).

APOLLONIUS qui, sæc. II ad finem vergente, adversus Montanistas scripsit, denominationem καθολικην etiam usurpavit. THEMISONEM nimirum quemdam redarguit, quod ausus sit exemplo Apostoli (ad primam autem JOHANNIS respicere videtur), conscripta epistola *catholica*, eos quidem, qui fideliores ipso exstiterant, instituere, novæ autem doctrinæ patrocinari (5). Quid porro per epistolam *catholicam* APOLLONIUS intellexerit, licet non adeo pateat, haud immerito tamen, ut videtur, existimaverit aliquis ipsum epistolam *circularem*, ad omnes scilicet Ecclesias generatim directam, designare voluisse.

Quod autem ad EUSEBIUM attinet, ipsum uni eidemque significationi huic vocabulo tribuendæ haud semper institisse, non facile negaveris. Etenim, *Hist. Eccl. l. III. c. III.* per scripta καθολικα, libros eos, qui a majoribus ut sacri habiti et traditi sunt, intelligit; et tamen, *l. VI. cap. XIV*

(1) *Comm. in Matt. t. X.* tom. III. pag. 465.
(2) *Patr. Apost.* tom. I. pag. 5. Ed. Amstelodam. 1724.
(3) Ap. EUSEB. *Hist. Eccl.* l. VII. cap. XXV.
(4) *Ibid.* l. III. cap. XXV. initio.
(5) Ap. EUSEB. *Hist. Eccl.* l. V. cap. XVIII.

initio, inter *αντιλεγομενας γραφας*, i. e. *de quibus ambigitur*, plures epistolas *καθολικας* reponit. Alibi, *lib. IV. cap. XXIII*, *καθολικας* vocat epistolas Dionysii, Corinthiorum episcopi, *προς τας Εκκλησιας* directas.

Quæ cum ita sint, mirandum non est interpretes diversa prorsus hac de re protulisse. Præcipuas vero ipsorum hypotheses enarrare, quidque pro singulis vel contra singulas militet edicere, hic suffecerit.

I. Vetustissima porro sententia a Leontio (1) (sæc. vi) et OEcumoenio (2) jam olim proposita, et quæ communis fere postea evasit, denominationem *καθολικην* cum voce *εγκυκλιος* (*circularis*, *universalis*) prorsus convenire statuit. Epistolæ igitur illæ *catholicæ* dictæ fuerint, quia non distinctæ alicui civitati aut ecclesiæ aut genti, quemadmodum epistolæ Pauli, dedicabantur, sed ad Christifideles *universaliter* dirigebantur. — Equidem vocem *καθολικην* apud nonnullos antiquos hunc significatum obtinuisse, et omni probabilitatis specie præsentem sententiam non destitui, fateamur oportet. Non desunt tamen quæ angustias ipsi facere videantur. Enimvero, si epistola *catholica* nil aliud sonet quam epistolam *circularem* seu *universalem*, cur, quæso, Origenes epitheton illud neque epistolæ Jacobi, neque secundæ Petri, quæ generaliores sunt ipsa prima Petri, quam tamen *catholicam* vocat, umquam tribuerit? Quare secunda et tertia Johannis, quamquam ad privatas personas datæ, inter *catholicas* nihilominus recenseri so-

(1) *De Sectis* actione 2. Bibl. vet. patr. seu script. eccles. tom. 1, Gr.-Lat. pag. 498. Parisiis. 1624.

(2) *Proleg. in Ep. Jacobi*. Opp. tom. II, pag. 439. Ed. Paris. 1631.

leant? Quare tandem epistola, quæ ad Hebræos inscribitur, in ea classe reposita numquam fuerit, cum tamen inscriptione ab ipso auctore profecta omnino careat, nec initio adeo constiterit utrum reapse D. PAULO an alteri scriptori sacro adscribenda esset (1)?

IIª Sententia, quam cum aliis JUSTINIANUS et SALMERO propugnant, ponit epistolas nostras idcirco *catholicas* vocari, quia universim et apud omnes qui CHRISTI fidem profitentur, tanquam divinitus inspiratæ habitæ sunt, ad discrimen scriptorum IGNATII, BARNABÆ, POLYCARPI, CLEMENTIS ROMANI etc., quæ, licet ævo apostolico magna auctoritate gauderent, non tamen in sacrorum librorum canonem relata fuere. In hac igitur sententia epistola καθολικη epistolæ φερομενῃ seu αντιλεγομενῃ opponitur. — Verùm, quominus hæc sententia, cui ceteroquin ORIGENIS et DIONYSII ALEXANDRINI loquendi usus favere videtur, pro indubia habeatur, duo obstare putaverim. Unum scilicet, quod EUSEBIUS, *Hist. Eccl. l. II. c. XXIII*, inter epistolas καθολικας illam JACOBI reponat, de qua tamen statim scribit: Ιστεον δε ως νοθευεται μεν. h. e. *notum autem est quod pro supposititia habetur;* et *l. VI. c. XIV*, inter αντιλεγομενας scripturas, plures epistolas καθολικας recenseat. Alterum porro est, quod, cum de epistolæ ad Hebræos necnon libri Apocalypseos authenticitate aliquamdiu dubitatum fuerit, non ideo tamen, postquam auctoritativo Ecclesiæ judicio privatorum hominum dubitationes evanuerint, in classem *catholicorum* librorum scripta illa relata sint.

IIIª Sententia ea est, quam recentiori ævo disertius tra-

(1) Cf. EUSEB. *Hist. Eccl.* l. III. cap. III., et l. V. cap. XXV.

didit Hug (1). Juxta cl. auctorem, denominatio καθολικη nil aliud initio fuit, quam technicum nomen, illi sacrorum librorum classi impositum, quæ *didactica* Apostolorum scripta (præter Pauli epistolas quæ collectionem specialem, cui titulus Αποστολος, constituebant) καθολικως seu καθολου και συλληβδην complectebatur, sicque καθολικον συνταγμα (*catholica collectio*) vocari poterat. Sæculo vero quarto, primævam hanc notionem vocem καθολικην amisisse putat, ipsamque cum voce εγκυκλιῳ significatione et usu tunc convenire cœpisse.

Ut autem priorem suæ sententiæ partem firmet Hugius, provocat præsertim ad Clementem Alexandrinum. Ipsum enim epistolam illam, quæ Act. XV. 23. sqq. legitur, ideo *Catholicam* vocasse (*Lib. IV. Strom. cap. XV*) suspicatur, quia *omnes Apostoli* manum ipsi admoverint (την επιστολην καθολικην των αποστολων απαντων). Origenem (*contra Celsum. l. I. n.* 63) pariter, et Eusebium (*Hist. Eccl. l. III. c. III.*) in suum sensum adducere conatur. Posteriorem vero partem probatione non indigere existimaverit : nam eam argumentis destitutam deprehendimus. Et quidem non putem ullum in antiquitate reperiri monumentum, quo illa significationis vocis καθολικης mutatio ac successio aliquo jure firmari queat. Nec porro prior auctoris assertio sua difficultate caret. Si enim epistolæ nostræ ideo *catholicæ* primitus vocabantur, quia ad illud καθολικον συνταγμα pertinebant, minime perspicio cur Origenes denominationem hanc neque epistolæ Jacobi, neque alteri Petri,

(1) *Einleitung in die Schriften des N. T.* Tom. II. §. 151. p. 499 sqq. 3a Edit. 1826.

neque secundæ et tertiæ JOHANNIS ullibi tribuerit. Nec magis video cur DIONYSIUS ALEXANDRINUS primam quidem JOHANNIS καθολικην, cæteras vero ejusdem Apostoli φερομενας vocaverit. — Posset forsitan aliquis hujus discriminis rationem ex dubio, quod circa epistolarum illarum authenticitatem in nonnullis ecclesiis initio viguit, repetere. Verum, si attenderit ille, e septem epistolis, quæ catholicæ vocantur, nonnisi duas fuisse de quibus nullum umquam extiterit dubium, videlicet primam PETRI et primam JOHANNIS, utique facile persuasum habebit duas illas epistolas καθολικον συνταγμα constituere non potuisse.

IV^a demum, quæ hic commemoranda venit, sententia est D. J. POTT, qui, præcedentium opinionum quasi synthesim faciens, singulas earum pro tempore admittit (1). Existimat nimirum sæculis duobus prioribus usque ad medium sæc. III, epistolas καθολικας ab epistolis εγκυκλιοις diversas minime fuisse; et hactenus cum prima sententia convenit. — EUSEBII vero ac sequiori ævo, hanc significationem periisse arbitratur, jamque καθολικα nuncupata fuisse scripta ea, quæ ad prælectiones publicas in Ecclesia habendas idonea deprehendebantur, statuit. Quia igitur epistola JACOBI, necnon PETRI altera, et JOHANNIS secunda et tertia, non minus ac ceteræ jam priori ævo *catholicæ* (εγκυκλιοι) dictæ, dignæ reperiebantur quæ in omnibus Ecclesiis recitarentur; hinc factum est, ut in *codice ecclesiastico,* ut aït, seu *librorum prælectioni inservientium*, una cum priori PETRI et JOHANNIS et illa JUDÆ repositæ fuе-

(1) POTT. *Epist. Cathol. Fascic. I. complectens epist Jacobi.* Prolegom. pagg. 2-15. Gottingæ. 1816.

rint, omnesque ex tunc ultimo definito sensu *catholicæ* nuncupatæ. — Verum procedente tempore, epistolæ quinque hucusque *αντιλεγομεναι*, tamquam vere apostolicæ in *canonem* receptæ sunt, et in unum sacrorum librorum corpus collectæ : ideoque, ut a Paulinis, quas jam auctoritate æquiparabant, distinguerentur, septem illarum epistolarum codex *τὸ καθολικον* vocatus est; ita ut duplici scriptorum N. T. codici jam existenti, scilicet τῳ Ευαγγελικῳ et τῳ Αποστολικῳ, tertius additus fuerit, nimirum το Καθολικον.

Hanc quidem sententiam acute satis excogitatam fatendum est : firmum tamen, quo innitatur, fundamentum habere non videtur. Triplicis enim illius, quam fingit Pottius, immutationis in usu et significatione ejusdem vocis Καθολικης, probatum, uti jam monuimus, vestigium in antiquitate nullum apparet : nec aliunde verisimilis adeo deprehenditur hujusmodi immutatio. Ceterum, multum abest quin difficultates omnes hac hypothesi solvantur. Ipsa enim admissa, necdum intelligo qui factum sit, ut priori illo ævo, Jacobi epistola sicut et altera Petri, quæ tamen universaliores ipsa prima Petri videntur, *catholicæ* numquam dictæ fuerint. Et, quod ad secundam hujus sententiæ partem attinet, nonne et alii N. T. libri lectionibus publicis pariter inserviebant? Nullus tamen eorum, præter epistolas nostras, *catholici* nomen unquam sortitus est.

Quæ sit igitur denominationis epistolæ *catholicæ* ratio, monumentis certis deficientibus, definiri nequit. Nec etiam ulla reperitur sententia, quæ difficultates omnes expedire valeat. Ideo eas, quæ potioris momenti videbantur, hypotheses, cum suis argumentis ac difficultatibus exponere, rem vero ipsam in dubio relinquere, opportunum duximus.

§. 2. *De hujus epistolæ auctore.*

Jacobi nomen epistola nostra inscriptum habet : nec temeraria quorumdam (1) dubitatio fidem codicum ac universæ antiquitatis vincere potest. Verum, cum plures hujusce nominis viri in libris N. T. commemorentur, quis eorum epistolæ auctor habendus sit, nobis inquirendum venit.

Porro Matt. IV. 21 et Marc. I. 19, vocatum a Christo legimus Jacobum, *Zebedæi filium* et *fratrem Johannis*. Ipse Apostolis annumeratur Matth. X. 3; Act. I. 13, etc., et cum Petro ac Johanne præ cæteris Christo familiaris fuisse videtur (cf. Luc. VIII. 51; Matt. XVII. 1; Marc. XIV. 33). Ab Herode Agrippa I seu *majore*, annis post Ascensionem Domini circiter decem, morti traditus est (Act. XII. 2).

Matt. X. 3; Act. I. 13, etc., inter duodecim Apostolos alter recensetur Jacobus, *Alphæi filius.* — Marc. XV. 40 commemoratur Jacobus cui cognomen *Minor.* — Insuper Matt. XIII. 55 et Marc. VI. 3, inter eos qui *fratres Domini* dicuntur, Jacobus quidam apparet. Similiter in epist. ad Gal. I. 19, Jacobi *fratris Domini* mentio fit. — Tandem Judas apostolus in epistola sua, quæ inter catholicas etiam reponitur, Jacobi fratrem se dicit : quod et Act. I. 13 notatur.

Exinde plurimi, e veteribus præsertim, tres Jacobos distinxerunt, videlicet : *Majorem* seu Zebedæi filium, *Minorem* ex Alphæo oriundum, utrumque e numero duo-

(1) Cf. S. Hieronymum. *De vir illust.* cap. II. Opp. tom. II, pag. 830. Ed. Veronensis.

decim Apostolorum, et tertium quemdam, *fratrem Domini* cognominatum, qui primus ecclesiæ Hierosolymitanæ antistes fuerit, cuique epistolam catholicam adscribunt. Gravis quidem et multum agitata hæc controversia fuit. Nos tamen, omnibus rite perpensis, duos tantum JACOBOS, eosque Apostolos, agnoscendos existimamus, ac proinde JACOBUM illum, *fratrem Domini* nuncupatum, unum prorsus et eumdem cum JACOBO *Minore* seu *Alphæi* esse habendum. Quod evincimus :

I. *Ex sensu Ecclesiæ.* Etenim A) Sacrosancta Tridentina synodus, *sess. XIV de Extrema unctione cap. I*, Extremæ unctionis Sacramentum *per Jacobum apostolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum* fuisse tradit. Et postea tum in cap. III, tum in canonibus I et III, JACOBUM *apostolum* simpliciter vocat. Ergo ex mente Concilii JACOBUS *frater Domini* Apostolus vere fuit, ac proinde unus et idem cum ALPHÆI filio.

B) Ecclesia Latina nonnisi duos JACOBOS umquam coluit, nimirum : JACOBUM ZEBEDÆI, et illum *fratrem Domini* ac Hierosolymitanum episcopum. Ecquis porro credet Ecclesiam hanc, quæ, ut scite animadvertit WALTON, Proleg. X. n. 1, *traditionum antiquarum tenacissima semper fuit*, unius e duodecim Apostolis memoriam obliterasse? Quod tamen fateatur necesse est quisquis *fratrem Domini* ab *Alphæi filio* diversum statuerit.

C) Ecclesia Syriaca nobiscum pariter sentit. JACOBUM siquidem *fratrem Domini*, auctorem esse Liturgiæ quæ ipsius nomen præ se fert, contendunt Syri ex antiqua sua traditione, cujus fundamentum, ut videtur, aliud non

fuit, quam usus illius Liturgiæ in ecclesia Hierosolymitana ab apostolo fundata. Quod porro illum vere et proprie dictum apostolum habuerint, satis constat ex iis quæ de hujus Liturgiæ origine scribit DIONYSIUS BARSALIBÆUS. *Traditur*, ait (1), *quod feria III^a post descensum Spiritus Sancti, Jacobus apostolus liturgiam celebravit omnino eamdem quam hic habemus.* Expressius adhuc S. JOANNES MARO : *Omnium primus*, inquit (2), *in Sionis cœnaculo Corporis et Sanguinis Domini mysterium perfecit, mandatum exequens quod ipse Dominus noster discipulis suis ibidem dederat dicens : Hoc facite in meam memoriam.* Jamvero ex Matt. XXVI. 20; Marc. XIV. 17 et Luc. XXII. 14, duodecim tantum Apostolos ultimæ cœnæ interfuisse constat.

II. *Ex S. Litteris.* Et quidem A) PAULUS ad Gal. I. 18, 19, hæc habet : *Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim : alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi* (εἰ μὴ) *Jacobum fratrem Domini.* Unde concludere pronum est JACOBUM *fratrem Domini* de numero illorum Apostolorum fuisse quorum et PETRUS. Nam nihil est quod suadeat particulam εἰ μὴ propriam suam notionem *excipiendi*, in qua communiter ab ipso PAULO usurpatur, hic non obtinere. Quin potius, contrarium prorsus contextam orationem postulare putaverim. Quid enim in hac tota pericopa sibi velit Apostolus? Unum hoc : ostendere nempe se *Evangelium non ab homine accepisse neque didicisse, sed per revelationem Jesu Christi* (v. 12).

(1) Ap. RENAUDOT. *Liturgg. Orient. collect.* tom. II. pag. 74.
(2) Ap. J. A. ASSEMAN. *Cod. Liturg. Eccl. univ.* tom. V. pag. 237. — Romæ 1752.

Ad quod firmandum, nullos Apostolos, nisi peracto tandem a sua conversione triennio, se adiisse testatur : imo eo ipso tempore, se nonnisi PETRUM et JACOBUM vidisse asseverat. Quod si JACOBUS vere et proprie Apostolus non fuisset, non apparet cur specialis ipsius mentio hic fieret. Numquam enim, ut opinor, suspicati essent Galatæ, virum hujuscemodi, qualis erat PAULUS, a viro apostolica dignitate non insignito edoceri potuisse, cum tamen adesset Apostolus qui id facere valeret. — Ceterum interpretationem nostram maxime commendat illud Act. IX. 27, *Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos.*

B) Ejusdem epistolæ cap. II. v. 9. legimus : *Et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi....* Quomodo, quæso, tali titulo PAULUS decorasset, imo ante PETRUM, sacri collegii caput et principem, nominasset eum, qui vere et proprie dictus Apostolus non fuisset?

C) Demum Act. I. 13 LUCAS inter Apostolos duos JACOBOS recenset : unum quem simpliciter JACOBUM vocat (erat autem frater JOHANNIS); alterum quem dicit ALPHÆI. Verum, cap. XII. 2, JACOBUM fratrem JOHANNIS ab HERODE occisum fuisse narrat. Postea capp. XII. 17; XV. 13 et XXI. 18, unius JACOBI, Jerosolymis conversantis, et potiori quadam auctoritate ibidem gaudentis, iterum meminit. Hunc autem *fratrem Domini* fuisse, vel ex Gal. I. 19 dubitari nequit. Jamvero, si LUCAS, quas commemorat personas exactissime describere solitus, hunc JACOBUM diversum ab eo quem Act. I. 13 ALPHÆI vocaverat, habuisset, utique additum

aliquod, quo personæ error præcaveretur, non omisisset.

Talia igitur in S. Litteris occurrunt, quæ JACOBUM *fratrem Domini*, vere et proprie Apostolum atque unum et eumdem cum *Alphæi filio* fuisse, suadeant.

III. Nec parum roboris huic nostræ sententiæ accedit ex infirmitate rationum, quas nobis opponunt, quibusque nituntur adversarii. Sic dicunt :

1° Ex collatis Matt. XXVII. 56; Marc. XV. 40, et Joh. XIX. 25, satis patet MARIAM, *Jacobi fratris Domini* matrem, CLEOPHÆ uxorem fuisse. Atqui JACOBUS Apostolus filius ALPHÆI fuit; ergo JACOBUS *frater Domini*, utpote CLEOPHÆ filius, ab Apostolo *Alphæi filio* prorsus diversus habendus est.

Respondemus argumentum ex multiplici capite nutare. Etenim : α) verba JOHANNIS Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ non nenessario important *Mariam uxorem Cleophæ* (1) fuisse, sed sonare possunt : *Mariam filiam Cleophæ;* sicuti Ιακωβος ο του Αλφαιου est *Jacobus Alphæi filius*. Nec desunt qui hanc interpretationem sequantur. Dicunt porro *Mariam Alphæi* uxorem ex secundis B. ANNÆ cum CLEOPHA nuptiis oriundam : ideoque ipsam a JOH. XIX. 25. *sororem Matris Jesu* vocari. — β) Quid prohibet quominus MARIAM, defuncto ALPHÆO, novas cum CLEOPHA nuptias iniisse dicamus? — γ) Alia demum, et quidem longe probabilior, solutio statuit, ALPHÆUM et CLEOPHAM unum idemque nomen esse, diversimode tantummodo scriptum. Rem optime exponit

(1) Κλωπας quem hic vocat JOHANNES, distinctus est ab illo Κλεοπα cujus meminit LUC. XXIV. 18.

D. J. Pott, ideoque ejus verba hic recitare juvat. « Hæc nomina, ait (1), quamvis e nostra scribendi ratione valde diversa videantur, facile tamen derivantur e communi fonte, hebraïca nempe scriptura, qua nomen viro erat חלפי, quod duplici modo efferri poterat, tam *Chalphai*, quam *Chlopai*. Priorem pronuntiationem sequuntur Matt. Marc. et Luc., abjecta, more Græcorum, adspiratione orientali, et addita terminatione Græca ος, unde Αλφαιος; veluti Hagg. I. 1. ubi Alexandrini חגי efferunt Αγγαιος. Posteriorem sequitur Johannes, qui habet Κλωπας, ח mutato in K; ut פסח 2 Paralip. XXX. 1. ab Alexandrinis effertur per Φασεκ; תבח Gen. XXII. 24. per Ταβεκ etc........ Quam pronuntiationis diversitatem eo minus in Johanne mirari possumus, quo magis constat, diversa adeo ab iis, quæ reliqui Evangelistæ habent, nomina eumdem exhibere, v. g. *Nathanaelis* pro *Bartholomæo*, quorum illud nomen viro proprium, hoc vero πατρωνυμικον fuisse videtur. Cf. invicem Joh. I. 45-51; XXI. 2; Luc. VI. 14. » Hucusque Pott.

Dicunt 2° Fratres Domini ab Apostolis non uno in loco, maxime vero Joh. VII. 5, et Act. I. 13, distingui : imo ipsum Jacobum speciatim ab illis secerni 1. Cor. XV. 7 volunt.

Verum α) quod attinet ad locum Johannis quem summopere urgent adversarii, gratis assumunt, fratres Domini, præter quatuor a Matt. et Marc. enumeratos, nullos prorsus fuisse. Audiant igitur Augustinum dicentem (2) : *Non mirum est* (nempe propter Judæorum con-

(1) *Prolegom. in Epist. Jacobi*, pag. 86. not. 169. — Gottingæ 1816.
(2) *Quæst. XVII in Matt.* Opp. tom. III. part. 2. pag. 286. Ed. Benedict.

suetudinem) (1), *dictos esse fratres Domini ex materno genere quoscumque cognatos; cum etiam ex cognatione Joseph dici potuerint fratres ejus ab eis qui illum patrem Domini arbitrabantur.* Nec quidquam cogit nos, ut putemus Johannem fratres Domini omnino omnes subindicare voluisse. Fortassis, ut notat Lucas Brugensis in h. l., eos tantum præ oculis habuit qui erant seniores ætate, utpote patruos, qui plusculum sibi juris in nepotes solent arrogare. Non ergo implicat quod inter fratres Domini, et Apostoli fuerint, et etiam tales qui nondum perfecte in eum crederent.

β) Quod ex Actibus profertur nil omnino probat. Cum enim e fratribus Domini duo tantum Apostoli essent, Jacobus scilicet et Judas, de ceteris, si adfuerint, peculiaris mentio fieri debuit. Plurimos autem adfuisse, vel e v. 15 valde probabiliter conjeceris.—Nec *γ*) illud 1 Cor. XV. 5. 7. *Visus est Cephæ et post hoc undecim... Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus :* negotium nobis facessit. Num, quæso, quia *visus est Cephæ, et post hoc undecim*, ideo inter undecim Cephas computari non debeat? Apostolus unum significare voluit : nempe sicut Petrum, ita

(1) Notum est hanc apud Hebræos obtinuisse consuetudinem, ut *fratres* vocarentur non ii tantum qui ex eodem patre aut matre ortum ducerent, sed omnes fere cognati. Sic, Gen. XIII. 8; XIV. 14, 16, *frater Abram* Lot dicitur, cum tamen ex cap. XII. 5. manifestum sit ipsum nonnisi filium *fratris Abram* fuisse. — Gen. XXIX. 12. 15, Jacob *frater Laban* vocatur; nec tamen erat nisi *filius sororis Laban* (Gen. XXIV. 29. XXIX. 13). — Pariter, Tob. VII. 4, Raguel Tobiam, *consobrinum* suum, *fratrem* nominat. — Imo Gen. XXXI. 23 Laban dicitur *fratres suos* assumpsisse ad persequendum Jacob. Porro Laban fratres non habuit; nec de filiis Jacob sermo esse potest, utpote qui cum parentibus ipsi fugiebant (v. 17). Ideoque R. Raschi אֶחָיו quod ibidem legitur, per קרובים, *propinquos*, reddere non dubitavit.

et JACOBUM speciali CHRISTI redivivi apparitione dignatum fuisse. Si adversarii sibi constarent, JACOBUM e numero illorum, qui sub *Apostolis omnibus* (v. 7.) comprehenduntur, pariter expungere deberent. Quod tamen minime faciunt.

Urgent 3° Si JACOBUS *frater Jesu* unus idemque sit cum Apostolo, quare huic in Apostolorum catalogis, honorificum illud nomen *frater Jesu*, alias toties frequentatum, ne semel quidem tribuatur? Maxime cum in iisdem et de ANDREA (Matt. X. 2. Luc. VI. 14) et de JOHANNE (Matt. X. 2. Marc. III. 17) notetur, quod prior PETRI, posterior JACOBI frater fuerit.

Verum dicant ipsi cur JUDAS, qui et de fratribus Domini fuit, *Jacobi frater* simpliciter vocetur (Act. I. 13. Ep. Judæ v. 1). Nec animadvertunt illos, qui in Apostolorum catalogis fratres dicuntur, vere et proprie dictos fratres fuisse; dum econtra JACOBUS nonnisi latiori sensu frater Domini dictus fuerit. Cavendum porro erat, ne ex diverso ejusdem vocis in eodem loco significatu, errandi ansa præberetur.

Instant 4° Si JACOBUS *frater Domini* Apostolus vere fuisset, id proculdubio in epistolæ suæ inscriptione declarasset, nec se δουλον JESU CHRISTI simpliciter dixisset.

Sed si valeret argumentum, jam utique dicendum foret epistolam ad Philippenses, utramque ad Thessalonicenses, illam ad Philemonem, necnon et ad Hebræos; pariter tres epistolas JOHANNIS, haud secus ac illam JUDÆ, ab Apostolis non fuisse conscriptas. Ceterum, vocem δουλος, quam JACOBUS, vestigiis PAULI hærens, adhibet, non adeo a

vocabuli Αποστολος sensu abludere, suo loco videbimus.

Argumentantur 5° ex eo quod nonnulli Patres et Auctores ecclesiastici JACOBUM a PETRO et JOHANNE Hierosolymorum Episcopum ordinatum fuisse passim testentur. Hanc autem ordinationem cum apostolica dignitate non consistere arbitrantur.

Quæstionem valde agitatam de tempore quo Apostoli ad episcopalem dignitatem evecti fuere, solvendi non est hic locus. Duo tantum ad argumentum adversariorum elevandum protulisse suffecerit. Unum est, quod nonnulli e SS. Patribus omnes Apostolos a PETRO episcopos ordinatos fuisse asserant. Alterum vero, et potissimum quidem, quod PAULO apostolicam dignitatem, quam non ab homine sed ab ipso CHRISTO sibi collatam toties testatur (cf. Gal. I. 1; Rom. I. 1; Act. XXVI. 16), nemo unquam abjudicaverit, eo prætextu quod et ipse, jam Apostolus constitutus, episcopus ordinatus fuerit. Hoc enim sensu locum Act. XIII. 3 communior et probabilior sententia interpretatur.

6° Demum, nonnullos Veteres, qui suam sententiam tenuere, nobis opponunt. Citant præsertim lubentique animo S. CLEMENTEM ROMANUM, S. EPIPHANIUM, S. CYRILLUM HIEROSOLYMITANUM, S. HIERONYMUM et alios: inter historiographos HEGESIPPUM et EUSEBIUM laudant.

Respondemus: α) Nonnullos ex antiquis Patribus *Jacobum fratrem Domini* a *Jacobo filio Alphæi* diversum reputavisse, verissimum est. Sed etiam negari non potest, plures ex eis necessitate potius logica quam historica veritate coactos, in hanc sententiam devenisse. Quotquot enim putarunt, JACOBUM ideo *fratrem Domini* dictum fuisse, quod ex priori

S. JOSEPHI conjugio ortum traxisset (1), ipsum a *Jacobo Alphæi*, ut secum constarent, secernere debuerunt.

β) Quid hac in re CLEMENS ROMANUS senserit, nos penitus latet : cum jam communi fere criticorum calculo, ipsi adscribi nequeant *Constitutiones Apostolicæ* et *Recognitionum libri*, e quibus textus suos adversarii depromunt.

γ) Quod ad HIERONYMUM attinet, quem, propter magnam ejus in re exegetica auctoritatem, multum urgent, verum est S. Doctorem in *comment. in Isaïam lib. V.* ad cap. XVII. 5. 6 (2), *Jacobum fratrem Domini* extra duodecim Apostolos recensere. Sed apprime notandum est HIERONYMUM non propriam, sed quorumdam interpretationem, et quidem mysticam, in hoc loco proponere. Quæ in *lib. de vir. illustr.* cap. II (3) scribit, neutri sententiæ favere putem. Meliori forsan jure, ex *comment. in ep. ad Gal.* lib. I. ad cap. I. v. 19 concluderet aliquis S. Doctorem *fratrem Domini* pro uno e duodecim reapse non habuisse. Dicit enim (4) : « *quod autem exceptis duodecim, quidam vocentur apostoli...* » Attamen cum ibidem (5) ad ea, quæ in libro *de*

(1) Ita porro senserunt EPIPHANIUS, *Hær. XXIX.* Tom. I. pag. 119. Ed. *Petavii.* — GREGORIUS NYSSENUS, *Orat. II in Resurrect. Christi.* Tom. III. col. 647. Ed. *Migne.* — CHRYSOSTOMUS, *hom. in Annunciationem.* Hæc tamen pro spuria habetur. — HILARIUS *in Matt.* cap. I. n. 4. Tom. I. pag. 671. Ed. *Benedict.* — EUSEBIUS, *Hist. Eccl.* I. II. cap. I. — THEOPHYLACTUS *in Matt. XIII.* 55. — In eamdem sententiam propendere videtur ORIGENES *in Matt. tom. X. n.* 17. Opp. tom. III. pag. 463. — Ipsam proponunt, sed cum hæsitatione, AMBROSIUS, *de instit. virg.* cap. VI. n. 43. Tom. II. col. 317. Ed. *Migne;* et AUGUSTINUS, *in epist. ad Gal.* n. 8.

(2) Ed. *Veronensis.* tom. IV. pag. 194.

(3) Tom. II. pag. 830.

(4) Tom. VII. pag. 396.

(5) Pag. 395 ad fin.

perpetua virginitate B. Mariæ scripserat, remittat dicens : « *qualiacumque sunt illa quæ scripsimus, his contenti esse debemus* » ; æquum est ut, si mentem Auctoris penitius inspicere velimus, ad citatum opus recurramus : eo vel magis quod prædictum epist. ad Gal. locum ibidem etiam interpretetur. En porro quæ hujus libri n. 15 (1) leguntur : « Nulli « dubium est, ait, duos fuisse Apostolos Jacobi vocabulo « nuncupatos, *Jacobum Zebedæi*, et *Jacobum Alphæi*. Istum, « nescio quem *minorem Jacobum*, quem Mariæ filium, nec « tamen matris Domini, scriptura commemorat, Apostolum « vis esse, an non? Si Apostolus est, Alphæi filius erit; « et credet in Jesum; et non erit de illis fratribus, de quibus « scriptum est : *neque enim tunc fratres ejus credebant in* « *eum.* Si non est Apostolus, sed tertius nescio quis Jacobus, « quomodo est frater Domini putandus, et quomodo tertius « ad distinctionem *majoris* appellabitur *minor*, cum *major* « et *minor*, non inter *tres*, sed inter *duos* soleant præbere « distantiam; et *frater Domini Apostolus sit*, Paulo dicente : « *Deinde post triennium veni Jerusalem videre Petrum, et* « *mansi apud illum diebus quindecim. Alium autem Aposto-* « *lorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini* (ad « Gal. I. 18. 19)?... Ne autem hunc putes *Jacobum filium* « *Zebedæi*, lege Actus Apostolorum. Jam ab Herode fuerat « interemptus. Restat conclusio, ut Maria ista quæ *Jacobi* « *minoris* scribitur mater, fuerit uxor Alphæi, et soror « Mariæ matris Domini, quam *Mariam Cleophæ* Johannes « Evangelista cognominat, sive a patre, sive gentilitate fa- « miliæ aut quacumque alia causa ei nomen imponens. »

(1) Tom. II. pag. 219.

Hæc utique aperta sunt, et HIERONYMUM nobiscum hic sentire plane demonstrant.

δ) EUSEBIUS, postquam *Hist. Eccl.* lib. I. cap. XII de JACOBO scripserat : « εἷς δὲ καὶ οὗτος τῶν φερομένων τοῦ Σωτῆρος μαθητῶν, ἀλλὰ μὴν καὶ ἀδελφῶν ἦν (1) », hoc est : *unus autem et ipse erat ex iis qui dicebantur Salvatoris discipuli, imo et fratribus ;* lib. II. cap. I (2), sequentia S. CLEMENTIS ALEXANDRINI verba, quæ pro nobis omnino faciunt, recitat : « Ἰακώβῳ τῷ Δικαίῳ καὶ Ἰωάννῃ καὶ Πέτρῳ μετὰ τὴν ἀνάστασιν παρέδωκε τὴν γνῶσιν ὁ Κύριος. Οὗτοι τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις παρέδωκαν. Οἱ δὲ λοιποὶ ἀπόστολοι τοῖς ἑβδομήκοντα, ὧν εἷς ἦν καὶ Βαρνάβας. Δύο δὲ γεγόνασιν Ἰάκωβοι, εἷς ὁ Δίκαιος, ὁ κατὰ τοῦ πτερυγίου βληθεὶς, καὶ ὑπὸ κναφέως ξύλῳ κληγεὶς εἰς θάνατον· ἕτερος δὲ ὁ καρατομηθείς ». h. e. *Jacobo justo et Joanni et Petro Dominus post resurrectionem scientiæ donum impertiit. Quod illi ceteris Apostolis, hi vero septuaginta discipulis, quorum unus fuit Barnabas, tradiderunt. Duo vero fuere Jacobi; unus cognomento Justus, qui e templi fastigio præcipitatus, et a fullone fuste percussus interiit; alter qui capite truncatus est.* Subdit vero EUSEBIUS : « Αὐτοῦ δὲ τοῦ Δικαίου καὶ ὁ Παῦλος μνημονεύει γράφων· « Ἕτερον δὲ τῶν ἀποστόλων οὐκ εἶδον, εἰ μὴ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν τοῦ κυρίου. » h. e. *Illius autem Jacobi Justi meminit etiam Paulus scri-*

(1) Ed. *Migne. Patrol. Græc.* tom. XX. col. 120. — Notandum est lectionem hanc esse codicis *Regii*, quam ROB. STEPHANUS expressit. Verum in reliquis codicibus, *Mazarino* scilicet, *Medicæo*, *Fuketiano* et *Savilii* desunt hæc verba, μαθητων, αλλα μην και. Neque RUFINUS illa agnoscit. Vertit enim : *Post etiam dicit eum visum esse Jacobo, qui erat unus ex his qui fratres Salvatoris appellabantur.*

(2) Ibid. col. 136.

bens : Alium autem apostolorum non vidi, nisi Jacobum fratrem Domini. — Ceteroquin et ipse Eusebius in falsa opinione de fratribus Domini e Josepho oriundis fuit (1).

ε) Ceterum plures ex antiquis nobis adversari non diffitemur. Quod si omnes consentientes habuissemus, de hac quæstione tam prolixe disserere non oportuisset. Porro ex hactenus disputatis, hoc merito concludi posse arbitramur, *Jacobum fratrem Domini* unum prorsus esse et eumdem cum *Jacobo Alphæi*, qui unus e duodecim Apostolis fuit.

Quo posito, dicimus : *Jacobo Zebedæi tamquam auctori epistolam catholicam nullo pacto tribui posse.* Obstat enim unanimis fere veterum, qui hac de re locuti sunt, sententia : quæ firmissimo aliunde fundamento nititur. Si enim attento animo epistola Jacobi pervolvatur, facile quisque persuasum habebit id, quod jam notabat Augustinus in libro *de fide et operibus*, cap. XIV. n. 21 (2), scilicet epistolam hanc contra eos intentionem maxime dirigere, qui, *non intellectis quibusdam subobscuris sententiis apostoli Pauli*, ad salutem obtinendam sufficere fidem putabant, bene autem vivere et bonis operibus viam Dei tenere negligebant. Scripta vero Paulina, e quibus falsum istud dogma temere accipiebant illi, epistolæ erant *ad Romanos* et *ad Galatas*. Itaque, si perspectum habeas ex una parte, utramque Pauli epistolam mox memoratam vix ante annum post Christum natum 58um conscriptam esse; ex altera vero, *Jacobum Zebedæi* circa annum 44um ab Herode

(1) Ibid. col. 133.
(2) Ed. *Benedict.* tom. VI. pag. 177.



fuisse occisum (Act. XII. 2), utique fatearis necesse est huic JACOBO catholicam epistolam nullo jure tribui posse. Neque etiam apostoli doctrinam suam tam cito litteris exarasse videntur.

Remanet ergo, ut *epistolam hanc Jacobo Alphæi sive minori, fratri Domini ac primo Hierosolymitanæ ecclesiæ antistiti, adscribamus.* Et re quidem vera, quod fratri Domini tribuenda sit, antiquiores fere omnes consentientes habemus, licet eorum nonnulli, uti diximus, *fratrem Domini* ab *Alphæi filio* diversum immerito existimaverint. Nec est cur hanc discrepantiam miremur. Potuerunt enim e constanti ecclesiastica traditione unum hoc accipere : *auctorem epistolæ esse Jacobum fratrem Domini.* Quis autem præcise fuerit ille, et quo sensu *frater Domini* dictus sit, cum eadem via non ita diserte edocerentur, sed proprio marte rem quisque discutere ac definire deberet, hinc in diversas circa hanc peculiarem quæstionem sententias facillime abierunt.

Fuit autem ille JACOBUS, testibus HEGESIPPO (1), EUSEBIO (2) et HIERONYMO (3), ob singularem sanctitatem adeo celebris, ut cognomen *Justi* obtinuerit; imo et Judæorum prudentissimi, uti testatur JOSEPHUS ipse (apud EUSEB. l. c.), causam subsecutæ mox obsidionis Hierosolymitanæ fuisse existimaverint, violentam necem a Judæis ipsi illatam. E pinnaculo enim templi, ob solemnem Divinitatis JESU CHRISTI professionem, jussu ANANI vel ANNIANI, Judæorum

(1) Ap. EUSEBIUM. *Hist. Eccl.* l. II. cap. XXIII.
(2) Ibid.
(3) *De vir. illustr.* cap. II. — Opp. tom. II. pag. 829.

pontificis, præcipitatus; cum, confractis cruribus, adhuc semianimis, manus ad cœlum tendens, diceret : *Domine, ignosce illis : quod enim faciunt, nesciunt;* fullonis fuste in cerebro percussus interiit (1). Per triginta annos, HIERONYMO (2) teste, ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerat.

CUR porro JACOBUS *frater Domini* dictus sit, non una est, ut jam innuimus, antiquorum sententia. Prætermisso siquidem impio et hæretico sensu HELVIDII et nonnullorum, qui JACOBUM ex conjugio JOSEPHI et B. VIRGINIS ortum duxisse blasphemabant, quosque in prælaudato libro *de perpetua virginitate B. Mariæ* D. HIERONYMUS egregie confutavit; fuere inter patres nonnulli, quod supra monuimus, qui ex ignoratione usus loquendi Hebræorum, et etiam monumentis apocryphis decepti, JACOBUM e priori S. JOSEPHI conjugio natum censuerint. Verum hæc sententia, præterquam quod piæ traditioni de virginitate a JOSEPHO perpetuo servata, quam S. PETRUS DAMIANUS, *op. XVII ad Nicol. II Pontificem*, cap. III, *Ecclesiæ fidem* (3) vocat, contradicat; vel exinde aperte refellitur, quod MARIA *mater Jacobi* juxta crucem CHRISTI morientis astitisse ab Evangelistis narretur (cf. Matt. XXVII. 56; Marc. XV. 40). Ecquis porro credet JOSEPHUM, quem scriptura *justum* proclamat (Matt. I. 19), vivente ac dimissa priori conjuge, novas cum B. Virgine nuptias iniisse?

Fuere itaque alii qui fraternitatis illius originem ex eo repeterent quod, HEGESIPPO teste (ap. EUSEB. *Hist. Eccl.*

(1) *De vir. illustr.* cap. II. pag. 831.
(2) Ibid. pag. 833.
(3) Non quasi res ab Ecclesia definita umquam fuerit; sed quatenus communis fidelium sensus ita ferre deprehendatur.

lib. III. cap. XI), CLEOPHAS seu ALPHÆUS, JACOBI pater, frater JOSEPHI fuerit. Quæ si admitteretur sententia, jam utique fatendum foret, non vere sed tantum in apprehensione vulgi JACOBUM *fratrem Domini* fuisse. Caro enim CHRISTI quæ nihil e JOSEPHO traxit, cum ipsius consanguineis nil commune habere potuit.

Jam vero cum JOHANNES (XIX. 25) *Mariam Cleophæ*, seu JACOBI matrem, *sororem matris Jesu* vocet, non dubitaverim fraternitatis JACOBI et JESU rationem in hoc esse quærendam. Duplex autem modus rem explicandi nobis præsto est, et uterque suos patronos habet. Possumus quidem cum HIERONYMO *adv. Helv.*, et S. THOMA *Sum. p. 3. q. 28. a. 3. ad 5*, admittere *Mariam Jacobi matrem* Deiparæ sororem stricto sensu fuisse : adeo ut JACOBUS consanguineus CHRISTI in secundo gradu fuerit. Verum est cum hac sententia non consistere opinionem, apud Græcos maxime vulgatam, B. Virginem a parentibus senibus et sterilibus miraculose in lucem editam fuisse. Notat vero BILLUART (1) hanc opinionem vix ante sæc. VIII invaluisse, nec umquam apud Latinos magni habitam esse, utpote ex scriptis partim dubiæ auctoritatis, partim recentioris ætatis, excerptam. Quæ ceterum expositio si minus placeat, nil prohibet quominus dicamus *Mariam Jacobi* Sanctissimæ Virginis sororem latiori sensu vocari : quatenus nempe ipsius consobrina fuerit, ex fratre aut sorore sive JOACHIM sive ANNÆ oriunda. Quam latiorem significationem apud Hebræos vocem אָחוֹת obtinuisse nemo negaverit (cf. Job. XLII. 11).

(1) *Tract. de mysteriis Christi*, Diss. I. art. II. tom. III. pag. 153, sq. Ed. Lugdunensis, 1852.

Tunc utique dicendum erit Jacobum Christi consanguineum in tertio tantum gradu fuisse; ac nihilominus ex consuetudine Hebræorum *fratrem Jesu* dictum esse. Atque hæc de auctore epistolæ disputanda nobis erant.

§. 3. *De hujus epistolæ canonicitate.*

Canonicam epistolæ S. Jacobi auctoritatem, primis Ecclesiæ sæculis, in dubium a nonnullis, inter quos Theodorus Mopsuestenus recensetur (1), adductam fuisse negari non potest. Hoc enim testatur Eusebius (2), quamvis et hanc epistolam cum ceteris quoque in plurimis ecclesiis publice legi solitam esse fateatur. Idem tradit D. Hieronymus (3), qui pariter animadvertit ipsam, procedente tempore, auctoritatem obtinuisse. Sedulo porro notandum est, dubium illud privatorum hominum pene fuisse, qui nimirum divinam hujus epistolæ originem scientifice non sufficienter sibi demonstrari autumabant. Nec mirum : cum enim singuli N. T. libri nec eodem tempore conscripti, nec ad easdem ecclesias directi fuerint, de eorum auctoritate apud omnes ecclesias statim ab initio ex æquo constare non potuit, sed tunc demum, cum inter ecclesias ab invicem dissitas relationes frequentiores obtinere cœpissent. Ex altera parte, hæc est epistolæ nostræ indoles, ut adversus hæreses prima Ecclesiæ ætate grassantes vix allegari potuerit. Hinc factum est ut a SS. Patribus minus frequenter recitaretur, sicque de ejus auctoritate non adeo omnibus constaret.

(1) Cf. J. S. Assemani *Biblioth. Orient.* tom. III. part. 2. pag. 236.
(2) *Hist. eccles.* l. II. cap. XXIII.
(3) *De vir. illust.* cap. II.

Nec hujusmodi negotii solutio tunc temporis tantopere urgebat. Fideles quippe alta in mente repositum habebant, non solam scripturam, sed vivum ac infallibile Ecclesiæ magisterium credendorum regulam constituere. Exacto ceterum sæculo IV, in omnibus ecclesiasticis canonibus epistola Jacobi reperitur, nec amplius de ea quæstio habita est, donec sæculo XVI Erasmus et Cajetanus, nescio qua ratione ducti, circa ipsius canonicitatem dubia denuo moverent. Epistolam hanc gravitatem apostolicam non redolere prior (1) suspicabatur; ejus vero salutationis modus gravem alteri suspicionem ingerebat! Mox Lutherus, qui palmare suum de sola fide justificante principium ineluctabiliter in hac epistola damnari non patiebatur, ipsam, utpote *stramineam* (2) et *apostolico spiritu indignam* (3), e suo canone, hæreticorum more, expunxit. Magistri temeritatem disciplui plurimi improbarunt, maxime cum Calvinum ipsi contradicentem animadvertissent, atque, invito Luthero, epistolam Jacobi retinuerunt.

Interea tamen intellexerat Ecclesia, propter urgentes temporum necessitates opportunum fore, contra impios hæreticorum conatus solemni ac decretorio judicio sancire, quinam essent libri tum veteris tum novi Fœderis pro sacris habendi. Quod, perpetuæ constantique traditioni innixa, præstitit sacrosancta Tridentina Synodus, sess. IV, decreto *de canonicis scripturis*. Inter quas cum et epistola Jacobi reposita fuerit, utique de ipsius canonicitate du-

(1) Asserunt tamen nonnulli Erasmum de auctore quidem epistolæ ambigisse, de ipsius vero inspiratione nullatenus dubitasse.

(2) *Præfat. in N. T.*

(3) *Præfat. in epist. Jac.*

bium excitare viro catholico non amplius licet. Quia tamen credenti suave est infallibilia S. Matris Ecclesiæ judicia criticæ scientiæ ope confirmare ac vindicare, ideo nos quoad epistolam Jacobi, pro instituto nostro, hoc præstare conabimur.

Hæc porro quæstio hujus generis est, quæ antiquorum testimoniis maxime solvenda sit. Inquirendum nimirum nobis est quid de illius epistolæ auctoritate vel ab ipsis Ecclesiæ incunabulis SS. Patres senserint : utrum scilicet eam tamquam scripturam sacram allegare consueverint. Quod ut debito cum ordine fiat, ecclesiæ latinæ primum, deinde ecclesiæ græcæ, ac demum ecclesiæ syriacæ monumenta ac sensum investigabimus. Monumenta vero illa de quorum authentia dubitandi auctoribus gravibus locus remanet, necnon ea quæ sententias non apud solum Jacobum, sed et apud alios scriptores sacros eodem prorsus modo occurrentes referunt, silentio prætermittemus.

I. *Ecclesiæ latinæ traditio.*

1. Traditionis ecclesiæ latinæ primus testis apparet S. Clemens Romanus, quem secum in Evangelio laborasse Paulus testatur (Philip. IV. 3), quique S. Petri in Sede Romana successor, sæc. I exeunte, pro Christi nomine martyrium subiit. Porro e Jacobi epistola non pauca in rem suam Clemens assumpsit, servato tamen Patrum Apostolicorum more, qui, tacito auctoris nomine, verba sacra recitare solent. Sic *Epist. I ad Virgines* cap. XI scribit :

ܘܠܐ ܡܣܟܠܘ ܒܟܘܢ ܕܐܡܪ܃ ܕܠܐ ܣܓܝܐܐ ܡܠܦܢܐ ܢܗܘܘܢ ܒܟܘܢ܂

ܐܚܝ̈ .... ܐܝܢܐ ܕܒܡܠܬܗ ܠܐ ܡܬܬܩܠ . ܗܢܐ ܓܒܪܐ ܗܘ
ܓܡܝܪܐ ܕܡܫܟܚ ܡܫܥܒܕ ܘܡܟܒܫ ܠܟܠܗ ܦܓܪܗ .

h. e. *neque attendunt ad id quod dicit : ne multi inter vos sint doctores, fratres...... qui in verbis suis non prævaricatur, hic homo perfectus est, potens domare et subigere totum corpus suum* (1) : quæ verba sunt JAC. III. 1, 2.

2. Legebatur epistola JACOBI in versione *Itala*, quam SABBATIER (2) *Apostolorum temporibus vicinam* asserit, et de qua WALTON, *Proleg. X, n. 1*, scribit : *probabile est ipsam ab ipsis Ecclesiæ primordiis in usu fuisse, cum ecclesia latina sine versione latina esse non potuerit, eamque ecclesia Romana, quæ principem inter ecclesias locum semper tenuit, et antiquarum traditionum tenacissima fuit, in communi usu reciperet.*

3. Post CLEMENTEM ROMANUM, S. IRENÆUS, POLYCARPI discipulus, ac Lugdunensis ecclesiæ sæc. II ad finem vergente antistes, nobis occurrit. Qui *lib. IV contra hæreses* cap. XVI, n. 2 (3) : « *Abraham*, inquit, *sine circumcisione et sine observatione sabbatorum credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei vocatus est.* » Sunt ipsa JAC. II. 23. verba.

4. Eodem fere tempore, TERTULLIANUS, celeber ecclesiæ

(1) *S. P. N. Clementis Romani epistolæ binæ de Virginitate, Syriace, quas ad fidem cod. mss. Amstelodamensis, additis notis criticis, philologicis, theologicis et nova interpretatione latina*, edidit J. T. BEELEN. Lovanii 1856. — pag. 50 et 51.

(2) *Bibliorum Sacrorum Latinæ versiones antiquæ*, præf. n. XXV et XLVIII. Parisiis 1751.

(3) Ed. Massueti. pag. 246.

Africanæ scriptor, *lib. adv. Judæos cap. II* (1), ad eadem JACOBI verba alludebat scribens : *Unde Abraham amicus Dei reputatus est.....*

5. S. HILARIUS qui tam christiano zelo quam ecclesiastica doctrina in ecclesia Pictaviensi excelluit, circa an. 350 scribebat (*de Trinitate lib. IV. n.* 8) (2) :... *Et Jacobus apostolus dixerit : apud quem non est demutatio* (I. 17).

6. LIBERIUS qui ab an. 353 ad 363 usque summum pontificatum tenuit, in sua *ad omnes generaliter Episcopos epistola*, inter varia S. Scripturæ loca quæ ibidem congerit, et locum *Jac. V.* 9. reponit : *Ecce enim judex ante januam assistit* (3).

7. S. PHILASTRIUS, anno circiter 370, hujus epistolæ auctoritatem pariter agnoscebat, quippe qui *hæresi LXXXVIII* (4) : *statutum est*, aït, *ab Apostolis et eorum successoribus, non aliud legi in Ecclesia debere catholica, nisi Legem et Prophetas et Evangelia et Actus Apostolorum et Pauli tredecim epistolas et septem alias, Petri duas, Joannis tres, Judæ unam et unam Jacobi : quæ septem Actibus Apostolorum conjunctæ sunt.*

8. Eodem fere tempore, S. AMBROSIUS, Mediolanensis episcopus, et catholicæ fidei defensor strenuus, *lib. I de vocatione Gentium, cap. IX* (5) scribebat : *Omnis autem boni Deum esse auctorem, cujus dona nec incerta sint nec mutabilia, sed ex æterna voluntate venientia, Jacobus Apos-*

(1) *Patrol. Lat.* Migne, tom. II. col. 660.
(2) Opp. tom. II. pag. 76. Ed. Benedict.
(3) *Patrol. Lat.* Migne, tom. VIII. col. 1402.
(4) *Ibid.* tom. XII. col. 1199 sq.
(5) *Patrol. Lat.* Migne. tom. XVII. col. 1101.

tolus ita loquitur : « Nolite errare, fratres mei dilecti. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus (Jac. I. 17. 18). »

9. Epistolam JACOBI in canone suo posuerunt S. DAMASUS, in concilio Romano an. 379 (1); concilium HIPPONENSE an. 393 (2); CARTHAGINENSE IV an. 398 (3); INNOCENTIUS I an. 405 (4), ac CARTHAGINENSE V, an. 419 (5).

10. HIERONYMUS, quem in exponendis S. Scripturis Doctorem maximum Ecclesia prædicat, in *epist. ad Paulinum LIII*, circa annum 394 conscripta, hæc habet (6) : *Jacobus, Petrus, Joannes, Judas Apostoli, septem epistolas ediderunt tam mysticas quam succinctas, et breves pariter et longas : breves in verbis, longas in sententiis, ut rarus sit qui non in earum lectione cæcutiat.* Quæ si perpendisset LUTHERUS, de JACOBI epistolæ valore judicium suum forsitan mutasset.

11. RUFFINUS, Aquileiensis presbyter initio sæc. V,

(1) Ap. SEDULIUM. *Patrol. Lat.* Migne. tom. XIX. col. 792. — Notandum est canonem hunc, quem nonnulli eruditi non DAMASO sed GELASIO adscribendum esse putant, non exhiberi tamquam canonem ecclesiæ tantum Romanæ proprium. Incipit enim hisce verbis : *Nunc vero de Scripturis divinis agendum est, quid universalis catholica Ecclesia teneat, et quid vitari debeat.*

(2) BALLERINI, opp. S. LEONIS. tom. III. p. 99.— Cf. quæ contra QUESNELLUM editores in nota n ibidem scripsere.

(3) *Ibid.*

(4) *Ep. VI ad Exuper.* n. 13, ap. COUSTANT, *Epist. Rom. Pont. genuinæ.* p. 795.

(5) BALLERINI, l. c.

(6) Opp. tom. I. pag. 280. Ed. Veron.

comment. in symbol. Apost. n. 37 (1), sacrorum librorum catalogum recitans, *Jacobi fratris Domini et Apostoli* epistolam laudat. Dein subdit : *hæc sunt quæ Patres intra canonem concluserunt, et ex quibus fidei nostræ assertiones constare voluerunt.* — Ejusdem auctoris fragmentum in quo Jacobi verba tamquam scriptura sacra proferuntur, recentissime edidit D. Pitra *Spicil. Solesm.* t. I. p. 284.

12. Tandem, S. Augustinus, celeberrimus Hipponensis ecclesiæ antistes, *lib. II de doctr. Christ.* cap. VIII (2), eumdem prorsus canonem recitat quem post undecim sæcula, S. Tridentina Synodus solemni definitione sanxit.

Atque hæc ecclesiæ latinæ primævæ traditionis monumenta protulisse suffecerit. Neque enim ullus adversariorum de Jacobi epistolæ canonicitate post Augustini tempora apud latinos dubitatum fuisse contendit.

II. *Ecclesiæ græcæ traditio.*

1. Inter ecclesiæ græcæ monumenta, librum qui *Pastor* inscribitur, utpote græce primitus et a græco conscriptum, reponimus. Porro hujus libri auctor, S. Clementi Romano, ut videtur, coætaneus, ad epistolam Jacobi bis alludit; videlicet *lib. I, visionis III cap. IX,* ubi scribit : *ne forte ingemiscant ii qui egent, et gemitus eorum ascendat ad Dominum* (cf. Jac. V. 4); et *lib. II, mandat. XII cap. V : Si enim resistitis illi* (diabolo), *fugiet a vobis confusus* (cf. cap. IV. 7) (3).

(1) P. 100. Ed. Veron.
(2) Opp. tom. III. pag. 18.
(3) *Patrol. Græc.* Migne. tom. II. col. 907 et 950.

2. S. Ephraim, circa an. 150 Chersonis archiepiscopus, scribebat (1) : Τὸ δὲ (θαῦμα) ἐστι πρῶτα μὲν Θεοῦ, παρ' οὗ πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον. h. e. *Illud autem* (miraculum) *primo quidem est Dei, a quo omne datum bonum et omne donum perfectum est.* Quæ ultima verba leguntur Jac. I. 17.

3. Liber *de cœlesti hierarchia*, Dionysio Areopagitæ a pluribus adscriptus, et quem omnes magnæ antiquitatis esse agnoscunt, ab ipsismet Jac. I. 17 verbis incipit : Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ Πατρὸς τῶν φώτων (2). Idem auctor *de Eccles. hierarchia cap. VII* §. *VII*, (3) hæc habet : Ἀκούσεται γὰρ καὶ αὐτὸς πρὸς τοῦ δικαίου λογίου· Αἰτεῖτε, καὶ οὐ λαμβάνετε. Ἔστι δὲ τὸ ῥητὸν ἐκ τῆς τοῦ Ἰακώβου Ἐπιστολῆς. h. e. *Audiet enim etiam ipse a justo eloquio : Petitis, et non accipitis. Est autem hæc sententia ex epistola Jacobi* (cap. IV. 3). »

4. Clemens Alexandrinus, qui sæc. II Origenis magister fuit, *Stromatum l. IV cap. XVII* (4), ad epistolæ Jacobi cap. II. 23 alludit quando scribit : Ἀβραὰμ ὃς διὰ πίστιν καὶ φιλοξενίαν « φίλος Θεοῦ »... προσηγορεύθη. h. e. *Abraham qui propter fidem et hospitalitatem amicus Dei est appellatus.* — Imo Clementem ipsum in epist. Jacobi quædam attico sermone declarasse testatur Cassiodorus (5).

(1) *Patrol. Græc.* tom. II. col. 634.
(2) Ed. Corderii. pag. 1.
(3) *Ibid.* pag. 279.
(4) Ed. Oxoniensis an. 1715. pag. 221.
(5) *De instit. div. litt.* cap. VIII. Opp. tom. II. p. 543. Ed. Garetii. — Qui ibidem tradit S. Augustinum pariter solita diligentiæ suæ curiositate hanc epistolam tractasse. Verùm ad nos non pervenit ille S. Doctoris commentarius.

5. ORIGENES qui, sæc. III ineunte, in ecclesia Alexandrina florebat, variis in locis auctoritatem hujus epistolæ agnovit. Scribit enim *Hom. III in Exodum* (1) : *Hoc idem namque et Jacobus apostolus cohortatur dicens : Resistite autem, et fugiet a vobis* (IV. 7); et *comment. in epist. ad Rom.* lib. IV (2) : *Audiet Jacobum fratrem Domini similia protestantem, cum dicit : qui voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituetur* (IV. 4).—*In Proverb. cap. XXVIII. v.* 13 (3) scribit : Καὶ ὁ Ἰάκωβος φησίν· ἀλλήλοις ἐξαγγέλλετε τὰ παραπτώματα ὑμῶν, ὅπως ἰαθῆτε. h. e. *et Jacobus ait : confitemini alterutrum peccata vestra, ut sanemini.*

6. S. DIONYSIUS, Alexandrinæ ecclesiæ episcopus, qui, teste HIERONYMO, ORIGENIS auditor valde insignis fuit, et ab antiquis Patribus *magni* cognomine decoratus est, in sua *Interpretatione S. Evang. secundum Lucam cap. XXII, v.* 42-48 (4), ipsamet JACOBI I. 13 verba recitat : Ὁ γὰρ θεὸς, φησὶν (η γραφη), ἀπείραστος ἐστι κακῶν.

7. S. ATHANASIUS, an. 320 ad Alexandrinam sedem evectus, et fidei catholicæ adversus Arianos propugnator acerrimus, in *Epistola festali XXXIX* (5) sacrorum librorum catalogum texens, JACOBI epistolam inter illos recenset.

8. S. ORSIESIUS, Ægyptius, ut videtur, an. 345 Tabennensis abbas, in libro *de Institutione monachorum*, triplici vice JACOBI verba usurpat, videlicet : n. XXXI, verba

(1) Opp. tom. II. p. 139. Ed. Delarue.

(2) Tom. IV. pag. 536. — ORIGENIS opera, e quibus loca ista excerpsimus, non amplius græce, sed ex latina RUFFINI versione exstant.

(3) MAII *Nov. Patr. Bibl.* t. VII. part. II. pag. 51.

(4) *Patrol. Græc.* Migne. tom. X. col. 1596.

(5) MAII *Nov. Patr. Bibl.* tom. VI. pag. 154.

Jac. IV. 1; n. XLI, Jac. IV. 4; et n. L, Jac. I. 12. (1).

9. S. Cyrillus Hierosolymitanus, medio sæc. IV, *Catech. IV*, n. XXXV (2), inter libros quos in Ecclesia μετα παρρησιας αναγινωσκομεν, ut aït, hanc epistolam reponit; et aliquem ejus locum tamquam verbum sacrum *Catech. XXIII*, n. XVII (3) recitat.

10. Eodem tempore S. Serapio, Thmuitanus episcopus in Ægypto, in *Epist. ad monachos*, bis intra paginas septem ad Jacobi epistolam alludit, plurimaque ejus verba adhibet; nimirum *n. III* verba Jac. cap. V. 17, 18, et *n. XI*, verba cap. V. 16 (4).

11. S. Antonius magnus, an. 356 abbas, frequentissime textus a Jacobo mutuatur. Sic *sect. I Sermonum ad filios monachos*, quos ex arabico idiomate latinos fecit Abraham Ecchellensis, pronuntiat quod *fides sine operibus mortua est* (Jac. II. 20); et *sect. XIX*, verba Jac. III. 5. 6, tamquam Scripturæ eloquium recitat. Cf. pariter *Epist. I* et *XX* (5), ubi ipsum apostolum Jacobum aperte designat.

12. S. Basilius, Cæsareæ Cappadociæ circa an. 329 natus, et ejusdem civitatis episcopus, *lib. II adv. Eunomium n.* 19, ad Jac. II. 19 alludit, et *lib. V. n.* 2 (6), ipsa verba cap. II. 23, recitat.

13. S. Gregorius Nazianzenus, ecclesiæ Constantinopolitanæ antistes, *Carminum lib. I, sect. I, Poem. Dogm.*

(1) *Patrol. Græc.* Migne. tom. XL, col. 883, 887, 891.

(2) Ed. Benedict. pag. 68, sq.

(3) *Ibid.* pag. 330.

(4) *Patrol. Græc.* Migne. tom. XL. col. 930, 938.

(5) *Patrol. Græc.* Migne. tom. XL. coll. 964, 975, 1002 et 1057.

(6) Opp. tom. I. pagg. 254 et 314. Ed. Benedict.

XII, de veris scripturæ libris (1), JACOBI epistolam inter *catholicas* primam recenset.

14. S. AMPHILOCHIUS, Iconii episcopus, BASILII amicus et familiaris, in *Iambis ad Seleucum* scriptis (2), v. 311 sq., inter epistolas catholicas *ab omnibus admissas*, JACOBI unam numerat.

15. S. EPIPHANIUS, e Phœnicia oriundus, et Constantiæ in insula Cypro circa an. 367 episcopus factus, *Hæresi LXX* (3) verba JACOBI III. 8, 9, 10, ex æquo cum PAULI verbis recitat.

16. S. ASTERIUS, Amaseæ, metropolis Ponti, circa an. 400 episcopus, *Hom. XVII in Psalm. V* (4), sententiam JAC. Εὐθυμεῖ τις· ψαλλέτω (V. 13), laudat.

17. Sæc. V ineunte, S. CHRYSOSTOMUM testem habemus : qui *Hom. I* ad populum Antiochenum (5), verbis JAC. V. 17 utitur.

18. Tandem S. CYRILLUS ALEXANDRINUS, qui Nestorianam hæresim egregie profligavit, *Explan. in Luc. cap. VI* (6), scribit : Ὁ γὰρ κρίνων τὸν ἀδελφὸν, καθά φησιν ὁ τοῦ Χριστοῦ μαθητὴς, καταλαλεῖ νόμου, καὶ κρίνει νόμον· Εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης καὶ κριτής. h. e. *Nam qui judicat fratrem suum, aït Christi discipulus, detrahit legi et judicat legem. Unus est legislator et judex.* Sunt verba JAC. IV. 11, 12. Cf. pariter ejusdem

(1) Opp. tom. II. pag. 261. Ed. Benedict.

(2) Reperiuntur in Ed. Benedict. opp. S. GREGORII NAZIANZENI, tom. III. pag. 1105. Ipsos tamen S. AMPHILOCHII sincerum fœtum esse probat auctor *Bibliot. Galland.* tom. VI. Proleg. n. VI, quem recitat Migne *Patrol. Græc.* tom. XXXIX, col. 12 sq.

(3) Opp. tom. II. pag. 814 sq. Ed. Petavii.

(4) *Patrol. Græc.* Migne. tom. XL, col. 422.

(5) Opp. tom. II. pag. 16. Ed. Gaume. Paris 1838.

(6) MAII *Novæ Patrum Biblioth.* tom. II. pag. 200.

explanat. in Ep. ad Rom. ad cap. IV. 2 et VII. 16. (1). — Nonnulla insuper hujus epistolæ loca annotationibus suis illustravit (2).

Hic vero consistere liceat. Hæc enim quatuor priorum sæculorum monumenta manifestum plane faciunt varias ecclesias quæ Ecclesiam græcam constituebant, Jacobi epistolam indubitata fide recepisse.

III. *Ecclesiæ syriacæ fides.*

Ecclesiæ syriacæ fidem seorsim interrogare juvat, utpote cujus cum ecclesia Romana consensus maximi faciendus sit, cùm ob maximam hujus ecclesiæ, quæ jam apostolico ævo (3) florebat, antiquitatem, tum quia multæ et famosæ hæreses in ipsa exortæ sunt.

Jamvero de epistolæ Jacobi auctoritate Syros numquam dubitasse, testatur J. S. Assemanus (4). Et revera ipsa inter canonicos libros in versione syriaca, quam *Peshito* seu *simplicem* vocant, reponitur (5). Quam versionem ve-

(1) Maii tom. III. pagg. 4, 23, 31.

(2) Cf. *Catena* J. A. Crameri. Oxonii 1840.

(3) Antiochiæ, Syriæ metropoli, discipulos primum Christianos vocatos fuisse testantur *Act. Apost. XI.* 26.

(4) *Bibliothecæ Orientalis*, tom. III. part. I. pag. 9. nota 1.

(5) Notandum porro est nonnisi tres ex epistolis catholicis in antiquissima illa versione apparere. Quod testatur Cosmas Indicopleustes (ante med. sæc. VI.) *Christ. opin. de mundo*, l. VII. (apud Montfaucon, *Coll. nov. Pat. et Script. Græc.* tom. II. pag. 292) : Ἕτεροι καὶ τὴν Ἰακώβου σὺν ταῖς δυσὶ ταύταις (I Pet. et I Joh.) δέχονται· ἕτεροι δὲ πάσας δέχονται· παρὰ Σύροις δὲ εἰ μὴ αἱ τρεῖς μόναι αἱ προγεγραμμέναι οὐχ εὑρίσκονται· λέγω δὴ Ἰακώβου καὶ Πέτρου καὶ Ἰωάννου· αἱ ἄλλαι γὰρ οὔτε κεῖνται παρ' αὐτοῖς. h. e. *Alii et epistolam Jacobi cum duabus illis admittunt : alii vero universas recipiunt. Apud Syros autem*

tustissimam esse nemo negabit, quippe quæ in decursu sæc. II exarata videatur. *Syriacam tam novi quam veteris Testamenti versionem*, aït WALTON (1), *non multo post Apostolorum tempora factam esse, constans est orientalium traditio : nec desunt argumenta quæ idem suadent.*

Multa porro hujus ecclesiæ traditionis monumenta proferre non possumus : cum omnia fere, antiquissima præsertim, vel perierint, vel inter bibliothecarum manuscripta ignota adhuc jaceant. S. EPHRÆMI, qui Syrorum propheta dictus est, opera, partim syriace et latine, partim græce et latine ASSEMANI et PETRI BENEDICTI cura, an. 1743 Romæ edita, satis ostendunt quantæ nobis utilitatis forent veterum Syrorum scripta. Pluribus vero in locis ad epistolam JACOBI S. EPHRÆMUS provocat. Sic in *Sermone de charitate* (2), hæc habet : .... *περὶ ἧς ὁ Ἀπόστολος ἔλεγεν· ὃς ἐὰν φίλος εἶναι δοκεῖ τοῦ κόσμου, ἐχθρὸς τοῦ θεοῦ καθίσταται.* Sunt ipsa verba JAC. IV. 4. Citata pariter reperies cap. IV. 14, pag. 82; III. 6, p. 89; V. 9, p. 134; II. 17, p. 219; IV. 4, p. 296; I, 5, p. 460 etc.

Imo famosiores Syriæ hæretici hujus epistolæ auctoritatem agnoverunt. Etenim Nestorianos ipsam pro canonica habuisse, patet ex eo quod EBED-JESU eam inter libros sacros, *Catalogi* sui cap. II (3), recenseat. Hæc sunt ejusverba :

ܘܟܠܗ ܐܝܬ̈ ܕܡܬܩܪ̈ܝܢ ܡܫܬ̈ܠܡܐ ܒܟܠ ܣܦܪ ܘܟܠܗܝܢ .
ܕܝܥܩܘܒ ܘܕܦܛܪܘܣ ܘܕܝܘܚܢܢ ܘܩܬܘܠܝܩܘܣ ܡܬܩܪ̈ܝܢ ܀

nonnisi tres prædictæ reperiuntur : nimirum epistola Jacobi, epistola Petri et epistola Johannis; aliæ quippe penes illos nequidem habentur.

(1) *Bibliorum sacrorum Polyglotta*. Proleg. V. n. 4. Londini 1657.

(2) Tom. III. græce et latine. pag. 16.

(3) Ap. ASSEMAN. *Biblioth. Orient.* tom. III. part. I. pag. 9. sq.

h. e. *Tres etiam epistolæ, quæ inscribuntur Apostolis in omni codice et lingua, Jacobo scilicet, et Petro, et Johanni; et catholicæ nuncupantur.*

Nestorianis in admittenda divina hujus epistolæ origine plane consentiunt Jacobitæ. Quod patet ex Jacobo Edesseno qui, *Resol. canon.* 14, prohibens quominus vasa sacra ægroto afferantur, aut ipsi concedatur ut ad ecclesiam veniens attingat aut calicem aut cingulum, aut quid aliud ex rebus sacris, hanc prohibitionis suæ rationem præbet: ܠܘ ܓܝܪ ܗܠܝܢ ܝܠܦܢ ܡܢ ܫ̈ܠܝܚܐ ܩܕ̈ܝܫܐ ܕܦܩܕܘ ܡܛܠ ܗܘ ܕܟܪܝܗ ܃ ܐܠܐ ܕܢܡܫܚܘܢܝܗܝ ܩ̈ܫܝܫܐ ܡܫܚܐ ܒܫܡܗ ܕܡܪܢ. h. e. *Non enim ista didicimus ab Apostolis sanctis, qui præceperunt de eo qui infirmatur : sed ungant eum sacerdotes oleo in nomine Domini* (1). Sunt porro verba Jacobi V. 14.

Ceteras orientales ecclesias hanc epistolam pariter agnovisse, vel exinde manifestum est, quod inter libros sacros reperiatur tum in versionibus *coptica* et *sahidica*, quæ sæc. III esse putantur; tum in versionibus *arabicis* quarum una IV, altera vero VIII sæc. confecta est; pariter in versione *æthiopica* quæ sæc. IV primum suscepta putatur; necnon in *armenica* quæ ante medium V sæc. elaborata est.

Itaque ex monumentis quæ hucusque allegavimus, illud concludimus : S. Tridentinam Synodum, quando epistolam Jacobi inter libros illos, quos omni pietatis affectu ac

(1) Th. Lamy, *dissert. de Syrorum fide et disciplina in re eucharistica*, etc., pag. 118, 119. Lovanii 1859.

reverentia suscipere et venerari tenemur, inseruit, ab apostolica et antiqua doctrina minime recessisse, neque aliquid novi in hoc præstitisse; sed constanti perpetuæque traditioni innixam, id unum declarasse, quid nempe hac de re ab initio crediderit Ecclesia catholica, cui a CHRISTO dictum est: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi* (Matt. XXVIII. 20.).

Nonnullas difficultates, quæ adversus epistolæ hujus canonicitatem motæ fuerunt, utpote ab intrinseco petitas, opportunior solvendi locus erit in ipsa textus sacri interpretatione. Ex qua pariter innotescent variæ internæ rationes quæ divinam hujus libri inspirationem summopere suadeant.

§. 4. *De causa scribendi epistolam, deque ejus argumento ac stylo.*

Quænam potissimum causa JACOBUM ad hanc epistolam conscribendam impulerit, neque ex ipsa epistola, neque ex certa aliqua traditione liquido constat. Si tamen ea, quæ Apostolus specialius tractanda curavit, attentius inspiciamus, non immerito prorsus, opinor, conjecerimus ipsum triplici causa ad scribendum adductum fuisse. Et primo quidem, Judæos recens-conversos, variis persecutionibus a parte popularium suorum adhuc incredulorum obnoxios, et solamine et confortatione ad eas forti ac patienti animo tolerandas indiguisse, ex ipso epistolæ initio recte concluseris. Deinde, uti tradit AUGUSTINUS, *de fid. et*

oper. cap. XIV. n. 21, jam ævo apostolico non deerant qui, *non intellectis quibusdam subobscuris sententiis apostoli Pauli,* ad salutem obtinendam, fidem, operibus neglectis, sufficere putarent. Jamvero adversus hunc errorem epistola Jacobi, sicut et ceteræ catholicæ pleræque, intentionem maxime dirigere videtur, ipsum modo *directe* impugnando, modo *indirecte*, varia nempe morum præcepta tradendo et urgendo. Tertio tandem, nonnulla vitia inter fideles grassantia, maximeque contentiones ac lites, opportunam et sedulam correctionem postulasse putaverim. In hoc enim multum allaborat Apostolus, et ita quidem, ut nec suavitate in adhortando, nec gravitate in reprehendendo careat. Dogmata porro, si illud de operum necessitate excipias, vix attingit, quamvis ea quæ ad scopum suum magis conducunt, breviter commemorare non omittat.

Quod ad hujus epistolæ stylum attinet, a ceterorum N. T. scriptorum stylo nonnihil differre deprehenditur. Ipsius quippe oratio maxime concisa est et vivida, sæpiusque asyndetica. Et, quod mirum est, in hac tam brevi epistola vocabula occurrunt fere sexaginta (1), nec quidem

(1) Hæc autem ex ordine hic recensere operæ pretium duximus. Sunt porro : Cap. I. Απλως, εοικε, ανεμιζομενῳ, ριπιζομενῳ, ακαταστατος, διψυχος, ευπρεπεια, μαρανθησεται, απειραστος, εξελκομενος, αποτελεσθεισα, απεκυησε, παραλλαγη, τροπη, αποσκιασμα, ταχυς, εμφυτος, ρυπαρια, επιλησμονη, ποιησις, θρησκος, χαλιναγωγειν.— Cap. II. Χρυσοδακτυλιος, προσωποληπτειν, ανιλεως, εφημερος, επιτηδεια, φρισσειν. —Cap. III. Μεταγειν, μεγαλαυχειν, φλογιζειν, τροχος, εναλια, ακατασχετος, θανατηφορος, ομοιωσις, βρυειν, πικρον, αλυκον, επιστημων, δαιμονιωδης, ευπειθης, αδιακριτος.—Cap. IV. Κενως, ταλαιπωρειν, κατηφεια, νομοθετης, αγε.—Cap. V. Ολολυζειν, σεσηπε, σητοβρωτα, κατιωται, αμησαντων, ετρυφησατε, πρωϊμον, οψιμον, κακοπαθεια, πολυσπλαγχνος.

infimæ græcitatis, quæ in N. T. libris nullibi adhibita reperiuntur. JACOBO insuper poeticum ingenium non defuisse, plura testantur. Enimvero imaginibus, orientalium more, iisque haud adeo vulgaribus, delectatur (cf. I. 6. 11. 14. 15. 23. 24. III. 3-7. 11. 12. IV. 15. V. 2. 3.); interrogationibus et gradationibus studet; antitheses easque, quo fortiores sint, asyndetice junctas captat. Lectores suos subinde dramatico more interpellat, et in rem ipsam quasi introducit (cf. II. 2, sqq.; 15, sqq. IV. 1, sqq.; 13, sqq. V. 1, sqq.; 13, sqq.). Vehementiori etiam affectu nonnumquam abreptus, absque ulla apparenti transitione, ab una materia ad alteram distrahitur. Ipsi denique librorum V. T. lectionem perquam familiarem fuisse, tum ex sententioso dicendi genere, tum ex allusionibus, imo et ipsis locutionibus in scriptis illis usurpari solitis, abunde constat. Hæc quidem de scopo ac scribendi genere JACOBI annotasse suffecerit.

§. 5. *Qua lingua, quo tempore et quo loco conscripta fuerit epistola Jacobi.*

Epistolam JACOBI græce scriptam fuisse, uti communior fert sententia, eo verisimilius existimaveris, quod ad Judæos dispersos directa fuerit. Notum enim est linguam græcam tunc temporis vulgarissimam fuisse, adeo ut ipsi Judæi versione septuaginta-virali pro hebraico textu promiscue uterentur. Communem autem sententiam illud pariter confirmat, quod nempe tradit auctor *Synopseos Scripturæ sacræ* diu, sed immerito, ut videtur, D. ATHANASIO adscriptæ. Scribit igitur vetustissimus ille auctor, JACOBUM *fratrem Domini* secundum carnem, et primum Hieroso-

lymorum episcopum, Evangelium S. Matthæi, hebraïco idiomate primitus conscriptum, in linguam græcam transtulisse (1). Quod si opportunum duxit Jacobus, utique et ipse epistolam suam Græce exarare opportunum duxerit.

Annus conscriptæ hujus epistolæ certo definiri nequit : quod ceteroquin de omnibus fere libris sacris dicendum est. Unum tamen statui posse videtur : nimirum Jacobum tunc tantum scripsisse, cum jam Paulus epistolam suam *ad Romanos* misisset. Quod ut teneamus nonnulla suadent. Et quidem uti, Augustino duce, modo notabamus, Jacobi epistola adversus eos, qui sententiis Pauli in epistolis ad *Romanos* et ad *Galatas* præsertim traditis abutebantur, maxime directa videtur : cum summopere allaboret Jacobus in operum necessitate adstruenda et comprobanda. Immo, ad thesim suam stabiliendam, ipsum Abrahæ exemplum urget; et ad eadem *Geneseos* verba, quæ Paulus *Rom. IV.* 3. ut probaret Abraham non ex operibus sed ex fide justificationem hausisse, adduxerat, ipse, ad operum necessitatem asserendam, provocat. Porro cum ex una parte epistola ad *Romanos* anno circiter post Christum natum 58 scripta fuerit; ex altera vero, septimo Neronis anno sive 62 juxta alios (2), decimo autem sive 65 juxta nonnullos (3), Jacobus morti traditus fuerit, intra duos extremos terminos epistolam nostram conscriptam concluserim.

Quod ad locum attinet, Hierosolymis, ubi Jacobus sedem fixam habuisse videtur, illa exarata haud arbitrario præsumitur.

(1) Opp. S. Athanasii tom. IV. pag. 155. Ed. Benedict.
(2) Cf. Baronii *Annal. Eccles.* tom. I. pag. 621. Antverpiæ 1612.
(3) J. E. Cellérier, *Introd. au N. T.* pag. 465.

MONITUM.

Textum Vulgatæ cum interpunctione sua imprimendum curavimus secundum editionem Vaticanam anni 1598. In textu græco exprimendo, quia editione ab eminentissimo card. ANGELO MAIO elaborata, atque, ipso morte prærepto, cura P. VERCELLONE anno 1857 Romæ publici juris facta, nobis uti non licuit, editionem COMPLUTENSEM secuti sumus, ibidemque orationem pro nostro judicio interpunximus.

Quod ad variantes lectiones attinet, ne longiores essemus, illas tantummodo notavimus, quæ alicujus momenti essent, simulque nonnihil auctoritatis præ se ferrent. Notum autem est externa monumenta, quorum ope quænam lectio pro genuina habenda sit, dijudicari valeat, triplicis potissimum generis esse, scilicet : codices qui *Unciales*, utpote *uncialibus* litteris scripti, dicuntur; codices *minusculos*, litteris nempe cursivis conscriptos; ac demum versiones antiquas. Nonnihil etiam subsidii afferunt veterum Patrum scripta.

Porro codices *unciales*, ad quos imprimis attendendum est, nonnisi *quinque*, quod epistolas catholicas spectat, numerantur; videlicet :

Codex A, sive *Alexandrinus*, Musei Britannici, qui sæc. V exaratus censetur.

Codex B, seu *Vaticanus*, omnium antiquissimus (sæc. IV.). Ipse est quem modo laudavimus, quique ROMÆ an. 1857 editus est.

Codex C, *Regius*, sæc. V exaratus. Mutilus autem est a cap. IV. 2.

Codex G, *Angelicus*, bibliothecæ nimirum Angelicæ, monachorum ordinis S. AUGUSTINI Romæ. Non videtur scriptus ante medium sæc. IX.

Codex K sive *Mosquensis*, ex monasterio S. DIONYSII in monte Atho. Noni videtur esse sæculi.

Inter antiquas versiones memorandæ maxime veniunt :

Itala et *Syriaca Peshito*, quarum summam antiquitatem supra pagg. 28 et 37, delineavimus.

Coptica, sive Memphitica, dialecto Ægypti inferioris, et *Sahidica*, sive Thebaïdica, dialecto Ægypti superioris, exeunte sæc. III, ut videtur, conscriptæ.

Æthiopica, quæ exeunte fere sæc. IV suscepta plerumque putatur.

Armenica, sæc. V confecta.

CAPUT PRIMUM.

Argumentum. *Statim post epistolæ inscriptionem, qua apostolica scribentis dignitas declaratur, iique, ad quos scribit, exprimuntur* (1), *orditur Jacobus ab adhortando Judæo-Christianos, ad varias tribulationes, quibus obnoxii erant, læto ac constanti animo perferendas* (2-4). *Sapientiam porro ad hoc præstandum necessariam, a Deo, cujus summam benignitatem extollit, magna cum fide postulandam esse docet* (5-8). *A generali vero exhortatione transit ad speciales quasdam tribulationes perlustrandas, ad quas lubenti animo tolerandas auditores suos specialius incitat. Et primo quidem eos, qui pro Christi nomine bonorum suorum rapinam passi fuerant, solatur et roborat, tum gloriam in cœlo talibus repositam, tum divitiarum instabilitatem ipsis exhibendo* (9-11). *Deinde eos qui tentationibus, quibus ad peccata interius alliciuntur, fortiter obsistunt, beatos prædicat; quia post probationem fideles reperti, coronam gloriæ consequentur* (12). *Ne tamen tentationum suarum causam in Deum refundant, quod afflictis satis pronum est, ipsas nequaquam a Deo immitti, sed ex propria cujusque concupiscentia ortum*

ducere tradit (13-15). *Et quo magis falsam illam opinionem ab auditorum mente avertat, Deum immutabilem omnis boni fontem esse proclamat : ad quod firmandum, ad eximium humanæ regenerationis beneficium, ex mera Dei benevolentia profectum, provocat* (16-18). *Exinde vero occasionem sumit varias proponendi exhortationes, ad vitam, uti regeneratorum genus electum decet, instituendam : sicque primarium epistolæ suæ thema aggreditur. Præmissa itaque generali ac bipartita propositione* (19-20), *priorem partem, quæ est de verbo evangelico, quo mediante regenerationis gratiam assecuti erant, studiose suscipiendo, nunc evolvit* (21). *Statim vero errori tunc temporis grassanti occurrere volens, fideles suos serio admonet, parum esse si doctrinam evangelicam auditu percipiant, eam vero in praxim deducere non satagant. Qua propositione duplici generali exemplo illustrata, ad ea quæ postea dicenda erunt viam parat* (22-27).



ỳ. 1. Jacobus Dei, et Domini nostri Jesu Christi servus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.

ỳ. 1. Ἰάκωβος, θεοῦ καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ δοῦλος, ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, χαίρειν.

PARAPHRASIS : *Jacobus, Dei ac Domini Jesu Christi servus, Judæo-Christianis omnibus per varia loca dispersis salutem adprecatur.*

ỳ 1. *Jacobus Dei, et Domini nostri Jesu Christi servus.*) *Sicuti mortalem gloriam homines appetentes*, aït DIDYMUS ALEXANDRINUS (1), *in suis conscriptionibus, dignitates quas putantur habere, præponunt : ita sancti viri in epistolis quas scribunt ad ecclesias, principaliter proferunt se servos esse Domini nostri Jesu Christi, æstimantes hanc appellationem supra regna totius mundi consistere.*

Jacobus.) Nomen erat apud Judæos celebre, propter Patriarcham qui duodecim tribuum parens fuit. Est autem JACOBUS, יַעֲקֹב, a עָקֵב *calcem tenuit* (cf. Gen. XXV. 25.). Quæ ad JACOBI nostri personam spectant, supra pag. 22 sq. delineavimus.

Dei, et Domini nostri Jesu Christi servus.) Quod JACOBUS JESU CHRISTI *servum* (δοῦλον) se vocet, id non est eo sensu intelligendum quo *servi* dicuntur quotquot obedientiam CHRISTO præstant, uti Rom. XVI. 18; Ephes. VI. 6; etc.; sed *servus* dicitur, ut ESTII verbis utar, *propter ministerium verbi, in quo serviebat Christo Domino.* Hunc autem sensum vocem δοῦλον obtinere posse, vel exinde patet quod haud raro cum voce ἀπόστολος permutetur. (Cf. Gal. I. 10, coll. *v.* 1; Judæ *v.* 1; Apocal. I. 1.) Eodem prorsus sensu in V. T. formula עֶבֶד יְהוָה sæpe usurpatur; v. g. de MOSE, Exod. XIV. 31; Jos. I. 1; de JOSUE, Jud. II. 8. Non erat igitur cur CAJETANUS in h. l. scriberet, hujus epistolæ auctorem minus certum reddi, eo quod seipsum non nominet Apostolum.

Plerique ex interpretibus voces *Dei* et *Domini* sejungunt, ita ut

(1) *In Epist. Jac. brevis enarratio. Patrol. Græc.* Migne. tom. XXXIX. col. 1749.

illud ad PATREM, hoc vero ad FILIUM referant. Nobis tamen præplacet sententia S. CYRILLI ALEXANDRINI dicentis : *Deum hic et Dominum Jesum Christum appellat : id enim natura esse Jesum non ignorabat prædicator veritatis* (1). Et quidem, si duas distinctas personas auctor sacer designare voluisset, videtur quod non tam arcte voces θεοῦ et κυρίου conjunxisset, sed ante κυρίου articulum apposuisset. Scripsisset etiam, opinor, ut ordinarie fit, κυρίου ἡμῶν : verum pronomen quod in quibusdam antiquis versionibus comparet, a codicibus græcis, immo ab ipsa Itala prorsus abest. Huic autem interpretationi Æthiops interpres plurimum favet, vertit enim : *a Jacobo servo Dei Domini nostri Jesu Christi.* Igitur locus iste vim dogmaticam ad Divinitatem CHRISTI comprobandam habet. — De sacratissimi nominis JESU etymo et notione erudite scripsit ill. D. BEELEN, *Comment. in epist. ad Philipp.* edit. II. pag. 66 sq. not. 4.

Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.) Per duodecim tribus quæ sunt in dispersione, omnes Judæo-Christianos extra Hierosolymam commorantes intelligit. Fuere quidem qui hunc numerum mysticum haberent, et sub eo omnes christi-fideles, sive e Judæis sive e Gentibus, comprehendi putarent. Verum, præter communem loquendi usum, illud etiam huic interpretationi obstat, quod nempe ii, ad quos præsens epistola dirigitur, variis persecutionibus subjacere dicantur. Porro in Gentiles conversos persecutionem tunc temporis jam sæviisse, nihil probat : dum econtra neminem latet qualiter Judæi populares suos, qui CHRISTO nomen dabant illumve prædicabant, insectari consueverint (Cf. Act. VIII. 1. XIII. 46. 50 ; XIV. 3. 12. etc.).

Ἐν τῇ διασπορᾷ subaudi οὔσαις. Hujus abstractæ locutionis sensum interpres Syrus optime reddidit per ܕܒܕܝܪܝܢ ܒܥܡܡܐ i. e. *quæ dispersæ* (sunt) *inter gentes.* Porro JACOBUS specialem quamdam dispersionem præ oculis habuisse non videtur; sed alloquitur tum Judæos illos ex omni natione, qui die Pentecostes baptismum susceperant (Act. II. 5. 41) ; tum illos qui, post STEPHANI necem, ingravescente perse-

(1) Θεὸν ἐνθάδε καὶ Κύριον ἀποκαλεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν, τοῦτο κατὰ φύσιν ὄντα γινώσκων τῆς ἀληθείας ὁ κήρυξ. — *Thesauri* assertione XXXII. Opp. tom. VIII. pag. 300. Ed Auberti.

cutione, per regiones Judææ et Samariæ dispersi fuerant (Act. VIII. 1); tum demum eos qui a dispersis evangelizati CHRISTI fidem susceperant (Ib. *v.* 4).

Salutem.) Χαίρειν, scilicet λέγει : salutem et incolumitatem adprecatur. — CAJETANUS in h. l. salutationem istam carpit, utpote *profanam* ac *nulli salutationi cujuscumque alterius apostolicæ epistolæ conformem*. Et in hoc præcipitanter egit. Eadem enim prorsus est salutatio quam epistolæ suæ synodali Apostoli Hierosolymis congregati præfixerunt. Neque aliter GABRIEL angelus B. Virginem salutavit (Luc. I. 28); nec alio verbo CHRISTUS redivivus pias mulieres primum allocutus est (Matt. XXVIII. 9). Ceterum vox ista ad salutem corporis non necessario coarctatur.

℣. 2-4. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis : [3] scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. [4] Patientia autem opus perfectum habet [b] : ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes.

℣. 2-4. Πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε ἀδελφοί μου, ὅταν πειρασμοῖς περιπέσητε ποικίλοις, [3] γινώσκοντες, ὅτι τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως [a] κατεργάζεται ὑπομονήν· [4] ἡ δὲ ὑπομονὴ ἔργον τέλειον ἐχέτω, ἵνα ἦτε τέλειοι καὶ ὁλόκληροι, ἐν μηδενὶ λειπόμενοι.

PARAPHRASIS. *Summo gaudio locum esse existimate, fratres mei, quotiescumque variis tribulationibus affligi vobis acciderit : quippe qui scitis quod illud ipsum, quo fides vestra probatur, constantiam efficiat. Constantia autem vestra opus suum ad finem usque perducat : ut in adventu Domini inveniamini undique perfecti atque integri, nulla re, quæ ad salutem requisita sit, destituti.*

VARIANS LECTIO.

a) Voces τῆς πίστεως TISCHENDORFIUS in textum an. 1859 editum recepit. Et recte quidem. Leguntur enim in omnibus codd. uncialibus; in versionibus Syriaca, Coptica, Æthiopica, Armenica et Vulgata. Eas pariter legerunt THEOPHYLACTUS, OECUMOENIUS et BEDA.

b) Pro *habet* quod in Vulgata occurrit, Græce est ἐχέτω, i. e. *habeat*, idque absque ulla lectionis varietate. BEDA in textu suo latino *habeat* pariter legit : quod, teste ESTIO, in plerisque est emendatioribus, et exhibent veteres concordantiæ, et editio Lovaniensis. Insuper lectioni græcæ suffragatur tum major ipsius lectionis difficultas, tum contexta oratio.

℣. 2. Primum quod in scribendo sibi proposuerat Apostolus statim aggreditur. Judæo-Christianos, multis tribulationibus et persecutionibus obnoxios, consolatur, eosque ad illas patienter tolerandas adhortatur.

Omne gaudium existimate.) Græce : πᾶσαν χάραν ἡγήσασθε, h. e. *summum gaudium existimate.* « Πᾶς ubi dicitur de re quæ ex sui notione non pluralitatem sed gradus admittit, *intensive* non *extensive* significat, notatque id quod in hoc rerum genere *eximium, plenum, summum, maximum* sit. Nomen cum πᾶς constructum Articulum eo casu nunc habet, nunc non habet; ubi habet, *eximia, plena, summa* illa res definite cogitatur ut res hujus vel illius; ubi non habet, cogitatur universe. » Hæc ill. D. BEELEN (1).

Fratres mei.) Modeste de se sentiens, uti notat OECUMOENIUS, fratres ipsos vocat, non filios.

Cum in tentationes varias incideritis.) Ὅταν, *si quando, quoties.* « Legitur hæc particula in N. T. cum *Conjunctivo*, ait WAHL in

(1) *Grammatica Græcitatis N. T. quam ad* GEORGII WINERI *ejusdem argumenti librum, germanico idiomate conscriptum, in usum suorum auditorum composuit* J. T. BEELEN. pag. 110. Lovanii 1857. — Hunc porro librum intelligi volumus, quoties in hujus commentarii decursu Lectorem ad *Gramm. Græc.* remiserimus.

Clavi N. T. ad h. v., ubi agitur de re, quam fieri et repeti posse nune et postero tempore, judicamus. » — Πειρασμός, qui est a πειράζω, et ad recentiorem Græcitatem pertinet, generatim notat *experimentum virtutis seu virium alicujus rei*, ut 1 Pet. IV. 12. Sed per metonymiam *effectus* pro *causa*, πειρασμός sæpe dicitur de *omni re quæ hoc experimentum sumere* nata sit. Sic πειρασμός dicitur id quod malarum cupiditatum irritamentum constituit (Matt. VI. 13. XXVI. 41; 1 Tim. VI. 9). Πειρασμοι pariter vocantur tribulationes alicui ob religiosam ipsius professionem immissæ, utpote quæ ejus fidei veluti experimentum capiunt (Act. XX. 19). Hoc autem sensu vocem πειρασμους in præsenti loco intelligendam esse, vel exinde patet quod pro ea mox ponatur το δοκιμιον της πιστεως. — *Afflictiones* Apostolus hic cogitaverit maxime eas, quas Christiani Evangelii causa paterentur, quasque PAULUS ad Heb. X. 32. sqq. commemorat: *magnum certamen passionum, opprobria, tribulationes, vincula, rapinam bonorum*, etc.

Porro gaudium in mediis afflictionibus, quod ceteroquin et ipse CHRISTUS (Matt. V. 11. 12) et Apostoli (Rom. V. 3; 1 Pet. IV. 13. etc.) constanter prædicarunt, divina opitulante gratia, impossibile non esse, vel ex Apostolis liquet, qui, postquam cæsi fuissent, *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. V. 41).

℣. 3. *Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.*) *Causam* exponit *cur* tantopere gaudere debeant cum in afflictiones varias inciderint; et causa est, quia tribulatio patienter tolerata efficiat *constantiam* cui gloria cœlestis reservatur. Sensus autem est: *quippe qui scitis* (γινωσκοντες) *quod illud ipsum, quo fides vestra probatur* (το δοκιμιον), *constantiam* (ὑπομονην) *operetur.*—Participium γινώσκοντες in Verbum Finitum ope conjunctionis *quippe* vertendum esse, satis indicat contexta oratio. — Δοκιμιον est *id quo exploratur vel probatur aliquid*: ipsa *probatio* sive *experimentum* δοκιμὴ dicitur, ut 2 Cor. VIII. 2. Δοκιμιον itaque cogitantur οι πειρασμοι. Plenius scripsisset: γινώσκοντες ὅτι ὁ πειρασμὸς, ὅς ἐστι τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως... *scientes quod tribulatio, quæ est medium quo fides vestra probatur*... Ὑπομονη quamvis notione secundaria de *patientia* seu *tolerantia* dicatur (2 Cor. I. 6), primario tamen

constantiam notat. Quæ significatio, ut Luc. XXI. 19; Rom. II. 7 etc., hic etiam obtinet. Non enim agit JACOBUS de *modo* quo afflictiones subeundæ sint, sed de eo quod afflictio patienter tolerata *efficiat*. Unde patet nullam inter JACOBUM et PAULUM (Rom. V. 3. 4), antilogiam dari, sed utrumque unum idemque asserere : nimirum tribulationem, si patienti animo toleretur, *constantiam* operari. Ἡ ϑλιψις PAULI re non differt ab eo quod JACOBUS το δοκιμιον vocat. Confusio inde nata est quod auctor Vulgatæ duo nomina δοκιμη (1) et δοκιμιον, notione prorsus diversa, eodem vocabulo (*probatio*) reddiderit.

℣. 4. *Patientia autem opus perfectum habet.*) Orationem in hoc versiculo *parœneticam* fieri, ostendit imperativus *adhortantis* ἐχέτω (*habeat*), quæ lectio probatissima est (cf. lect. var.). Sensus tamen exhortationis sat obscurus videtur. Quid enim intelligendum sit per illud εργον τελειον non statim apparet. Sunt qui putant JACOBUM bonorum operum necessitatem jam inculcare velle, ita ut sensus sit : *constantia autem vestra in fide sterilis non sit; sed econtra conjuncta semper sit cum factis perfectis, seu cum perfecta agendi ratione.* Cum tamen constantia in fide absque illis operibus vix cogitari possit, putaverim εργον τελειον ad ipsam constantiam melius referri, ipsiusque *perseverantiam* ad finem usque connotare. Alluserit ergo JACOBUS ad Matt. X. 22 et XXIV. 13, ubi CHRISTUS, postquam Apostolis suis persecutiones, quæ ipsos et fideles manerent, prænuntiasset, addidit : *qui autem perseveraverit* (ο δε ὑπομεινας) *usque in finem, hic salvus erit.* Indirecte vero fideles illos arguere voluerit, qui nempe primum ferventes et persecutiones æquo constantique animo perpessi, demum, infirmati ac calamitatibus pressi, pugnæ cederent et a fide deficerent. Sensum igitur, quamvis liberius, sequentibus ESTII verbis expresserim : *Patientia vestra ne deficiat, sed opus suum perducat usque ad finem : sic enim erit opus absolutum atque perfectum, et re et fructu.* Quem sensum admittere videntur CORNELIUS A LAPIDE, SALMERO et LORINUS.

Δε non est hic *opponentis*, sed *continuantis* — Τελειος proprie est *ad finem perductus, absolutus, perfectus*, in quo nihil desideratur quod adesse debeat.

(1) Δοκιμη Rom. V. 4. *probatam virtutem* denotat, uti 2 Cor. II. 9.— Philipp. II. 22. etc.

Ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes.) Constantiæ illius, quæ ad finem usque duraverit, *finem* (ἵνα) simulque effectum aperit. Sensus est : *ut in adventu Domini inveniamini undique perfecti et integri, nulla re quæ ad salutem sit requisita, destituti.*— Ολοκληρον dicitur id quod omnes partes suas easque integras habet; quod proinde omnibus est numeris absolutum. — *In nullo deficientes* pro *appositione*, quæ duo præcedentia complectatur et explicet, habuerim.—Λειπομαι τινος vel εν τινι, *destituor, indigeo* aliqua re.

Eumdem effectum perseveranti constantiæ CHRISTUS tribuit dicens : *In patientia vestra* (εν τῃ υπομονῃ) *possidebitis animas vestras* (Luc. XXI. 19.). Quæ LUCAS BRUGENSIS sic exponit : *si constanter patientes fueritis, possidebitis, id est, servabitis, salvas facietis, obtinebitis salutem animarum vestrarum, æternam consequemini salutem.*

℣. 5-8. Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat : et dabitur ei. [6] Postulet autem in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. [7] non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. [8] Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.

℣. 5-8. Εἰ δὲ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας, αἰτείτω παρὰ τοῦ διδόντος Θεοῦ πᾶσιν ἁπλῶς καὶ οὐκ ὀνειδίζοντος· καὶ δοθήσεται αὐτῷ. [6] Αἰτείτω δὲ ἐν πίστει, μηδὲν διακρινόμενος· ὁ γὰρ διακρινόμενος ἔοικε κλύδωνι θαλάσσης ἀνεμιζομένῳ καὶ ῥιπιζομένῳ. [7] Μὴ γὰρ οἰέσθω ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος, ὅτι λήψεταί τι παρὰ τοῦ κυρίου. [8] Ἀνὴρ δίψυχος, ἀκατάστατος ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ.

PARAPHRASIS. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, qua afflictionum utilitatem atque pretium rite æstimare valeat, ipsam postulet a Deo, qui lubenti ac benevola mente dat omnibus, nec,*

hominum more, semel concessa exprobrat : et dabitur illi sapientia. Sed postulet cum fide firma, nihil prorsus addubitans. Qui enim hæsitanter rogat, propter instabilitatem suam similis est fluctui maris vehementi tempestate huc et illuc jactato. Cum ergo nonnisi constanti et perseveranti orationi repromissio facta sit, non existimet homo ille quod accepturus sit aliquid a Domino. Nec tantum in oratione sed et in omnibus consiliis suis anceps animus inconstans est.

℣. 5. *Si quis autem vestrum indiget sapientia* etc.) Tacitæ objectioni Apostolus hic occurrit. Nam dicere aliquis poterat : quomodo tribulationes maximum gaudium nos reputare jubeas? Quantopere enim humana natura ab eis abhorreat, quis ignoret? Respondet itaque JACOBUS : *Si quis vestrum indiget illa sapientia qua tribulationum utilitatem ac pretium rite æstimare valeat, postulet a Deo......* Porro casum hypotheticc ponit, non quia putaverit illum vix obtinere, sed ne ab initio auditorum animos offendat, necnon ut illius sapientiæ necessitatem magis inculcet.

Ει..... λειπεται. « In locutionibus *hypotheticis*, quando rem, quæ in propositione hypothetica ponitur, is qui loquitur, veram certamque, atque reapse factam esse aliquo tempore, aut fieri, aut futuram esse simpliciter fingit, neque ad cogitationem, neque ad eventum aliquando experiundum eam revocans, Græci adhibent *εἰ* cum *Indicativo* omnium temporum (1).» — Σοφια generatim consistit in cognitione rerum divinarum ac humanarum, illiusque recto usu, ut *Sap. VII* præclare describitur. Hic tamen ob contextam orationem σοφια specialius intelligenda videtur de *prudentia* illa, quæ metu persecutionum temporalium non amittit regna cœlorum, sed, tribulationum pretii conscia, in ipsis *gloriatur*, recte existimans *quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (Rom. VIII. 18.). Hinc egregie Ven. BEDA in h. l. « Si quis vestrum, aït, non potest intelligere utilitatem tentationum quæ fidelibus probandi causa eveniunt, postulet a Deo tribui sibi

(1) *Gram. Græc.* §. 42. pag. 318. n. 2. A.

sensum, quo dignoscere valeat quanta pietate pater castigat filios, quos æterna hereditate dignos efficere curat. »

Postulet a Deo qui dat omnibus affluenter.) Respexerit JACOBUS ad Eccli. I. 1. *Omnis sapientia a Domino Deo* (παρα Κυριου) *est.* — Παρα, quod primaria notione convenit cum Gallorum *de chez, de la part de* (Marc. XIV. 43. Joh. XVI. 28. etc.), et Hebræorum מֵעִם, tropice jungitur verbis *inquirendi* aut *discendi aliquid ab aliquo* (1).

Ut autem auditores suos ad petendum alliciat, liberalitatem Dei proclamat qui dat omnibus; *utique his omnibus*, aït AUGUSTINUS (*de nat. et grat.* c. 17) *qui sic petunt, et tantum petunt, quomodo et quantum res tanta petenda est.* — *Affluenter* : græce est απλως. Porro Rom. XII. 8, legitur : ὁ μεταδιδοὺς, ἐν ἁπλότητι, quod Vulgata vertit : *qui tribuit, in simplicitate.* CHRYSOSTOMUS tamen (*hom. XXI in Ep. ad Rom.*) illud εν απλοτητι interpretatur μετα δαψιλειας, h. e. *largiter, liberaliter* : sicque translationi vulgatæ in præsenti JACOBI loco concinit. Verum, quamvis απλως hanc notionem obtinere queat, si respicias *ad rei consequentiam*, uti notavit ESTIUS, putem tamen vocem illam in propria sua significatione hic sumendam esse, eamque mentem *candidam* ac *benevolam* qua Deus largitur, declarare. Et hoc innuere videtur illud quod immediate sequitur : *et non improperat.* — Forsan απλοτης illa quam JACOBUS cogitat, non ita dissimilis est a προθυμια quam PAULUS 2 Cor. VIII et IX commendat, et qua fit ut non ex tristitia et necessitate, sed hilari detur animo.

Et non improperat.) h. e. non *exprobrat* (sic ονειδιζειν ipsa vulgata vertit Matt. XI. 20; Marc. XVI. 14), more hominum, beneficia jam collata : quem proinde sæpius adire nemo vereri debeat. Beneficiorum exprobratio a frequentiori petitione homines avertere solet.

Participia græca per verba finita vulgatus auctor reddidit. — Notandum est græce, juxta probatiorem lectionem, legi μη ονειδιζοντος. Ea autem est in præsenti loco vis particulæ negantis μη, ut notet Deum non tantum de facto non exprobrare, sed nequidem cogitari posse ut exprobrantem. Intellige, ut bene notat CAJETANUS in h. l., quantum ex parte Dei : nam ex parte ingratorum testatur scriptura quandoque exprobrari beneficia collata.

(1) *Gramm. Græc.* §. 51. pag. 395 sq.

Et dabitur ei.) Juxta promissum CHRISTI : *omnis qui petit, accipit* (Matt. VII. 8), et : *amen, amen dico vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (Joh. XVI. 23.).

℣. 6. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.*) Qualis autem esse debeat postulatio, ut efficax sit, nunc edocet. Dixerat quippe CHRISTUS : *omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis* (Matt. XXI. 22). Quem MATTHÆI locum explanans LUCAS BRUGENSIS, quid sit *postulare in fide nihil hæsitans*, optime exponit : « Nihil *dubitans*, ait, de potentia Dei, quin *possit* dare eam quæ postulatur sapientiam, quamvis res magna ac difficilis sit; nec *diffidens* de benignitate Dei, quin *velit* dare id quod recte petitur, quamvis vili ac minime promerenti, de sua tamen erga Deum voluntate securo. » Et re quidem vera, ut non minus recte ad *v.* 21 idem Auctor notaverat : « quamvis, si suas ipsius vires, indignitatemve ad impetrandum a Deo res hujuscemodi magnas, homo consideret, habeat causam hæsitandi ac diffidendi; tamen fretus, tum rei æquitate, tum Dei potentia, promissionibus ac bonitate, effert se ipse supra omnem imbecillitatis indignitatisque propriæ considerationem. » Attamen, ut opportune notat ESTIUS ad h. l., « quia promissio conditionem habet hanc, *modo petat sicut oportet*, de qua nemo certus est (cf. Rom. VIII. 26); inde fit ut *cum ea fide promissionis divinæ* consistat, te *haud plane certum* esse, num sis impetraturus quod petis. » Ex his patet CALVINUM JACOBI sententiam non intelligere, et doctrinam catholicam calumniari, dum scribit in h. l. : « insignis hic locus ad refellendum impium illud dogma, quod in toto papatu pro oraculo habetur : nempe dubitanter et incerta successus opinione esse orandum. »

Particula δὲ hic orationem sic continuat, ut tamen aliquid novi addat.— Præpositio ἐν notionem suam localem hic fere obtinet, quatenus nempe dicitur de *eo quo* petens *instructus* esse debeat.— Μηδὲν pro voce substantiva, in *accusativo objecti patientis adverbiatiter* posita, habuerim. — Διακρίνεσθαι (med.) proprie est *secum litigare*, moxque *dubius hærere*. Qui enim dubitat, secum ipse quasi disputat, alternantibus videlicet oppositis sententiis.

Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento

movetur et circumfertur.) His verbis rationem reddi cur *postulandum sit in fide, nihil hæsitando*, satis innuit particula *causalis* *γαρ*. Quominus enim aliam notionem in præsenti loco huic voculæ tribuamus, contexta oratio, ut opinor, prohibet. Verum in quo præcise sita sit illa ratio, sub elegantis comparationis involucro tradita, non adeo liquet. Nullus sane interpretum, quos perlegere potui, quæstionem diserte sibi proposuit. Jam vero JACOBUS virum in oratione hæsitantem fluctibus maris, tempestatum arbitrio huc illuc jactatis, comparat. Et revera, quemadmodum fluctus illi in eodem statu numquam permanent, sed modo *ascendunt usque ad cælos*, modo *descendunt usque ad abyssos*; ita qui orando dubiis exagitatur, utrum nempe obtenturus sit necne id quod postulat, inter spem et desperationem continuo fluctuans, nunc patiens et confidens Deum invocat, nunc impatiens conqueritur quod exaudiri non valeat, et orationem dimittit. Hominis igitur ejusmodi oratio nec *constans* nec *perseverans* esse potest. Hunc porro perseverantiæ defectum JACOBUM sub imagine illa significare voluisse, tum ex natura rei, tum ex vers. 8 haud arbitrario conjeceris. Et quidem noverat Apostolus dixisse CHRISTUM: *oportet semper orare et non deficere* (Luc. XVIII. 1); et *petite et dabitur vobis : quærite et invenietis : pulsate et aperietur vobis* (XI. 9). Ad quem locum apposite notat LUCAS BRUG. « Hæc omnia orandi *ardorem* et *perseverantiam* præscribunt, et tria ipsa unum hoc declarant : orate *perseverantissime*, certoque certius impetrabitis. » Plena fuisset argumentatio Apostoli, si prælaudatæ imagini hanc similemve propositionem subjunxisset : *qui vero in oratione sua perseverans non est, hic proculdubio id quod postulat obtinere non valet*. Conclusio autem *v*. 7. habetur : *non ergo æstimet homo ille* (qui nempe hæsitat) *quod accipiat aliquid a Domino*.

Ἔοικε, attice, bis tantum in N. T. occurrit, hic et *v*. 23. Idem porro valet ac ὡμοίωται. — Ανεμιζομενος et ριπιζομενος, in præsenti solum loco obvia, ita componenda videntur, ut prius ad *causam*, posterius ad *effectum* referatur. Fluctus nimirum cogitatur ριπιζομενος quia ανεμιζομενος. PHILO sane dixit : προς ανεμου ριπιζεσθαι. Ανεμιζεσθαι, Græcis inusitatum, ab ανεμος, est *ventis agitari*. Ριπιζειν, a ῥιπις, proprie est *ignem folle excitare* ; indeque *ventilare, huc et illuc jactare*.

ỳ. 7. *Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino.*) Concludit ex præcedenti argumentatione. — « Particula γαρ, ait Ill. D. Beelen (1), ex γὲ et ἄρα composita, proprie hanc vim habet ut valeat *sane pro rebus comparatis*, ubi primum affirmatur res pro potestate particulæ γε, deinde refertur eadem ad antecedentia per ἄρα. Itaque *cotictusivam* primum vim habet partlcula γαρ. » Et hanc primariam significationem particulæ γαρ in præsenti loco competere, non dubitaverim, sicut et 1 Thess. II. 20; Matt. XXVII. 23, ubi τι γαρ κακον εποιησεν, Gallice reddiderim : *quel mal a-t-il donc fait?* etc. Sensum igitur vocis interpres noster rectissime expressit, vertendo *ergo*. — Μη *dissuadentis* est. — Οιομαι, *existimo*. — Ο ανθρωπος εκεινος, scl. ille quem modo significavi, ο διακρινομενος.

ỳ. 8. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.*) Ad modum *epiphonematis* hæc dicta putaverim. Asseruerat modo Jacobus virum qui hæsitat non posse accipere aliquid a Domino, propter orationis suæ inconstantiam. Jam vero, quo magis auditores suos ab illa hæsitatione deterreat, exhortationem suam per hanc generalem sententiam claudit : *qui animi ancipitis est, non tantum in oratione, sed et in omnibus actibus suis inconstans est.* Sæpissime enim a propositis deficit, et quæ modo cum ardore fuerat amplexus, præ diffidentia et formidine mox respuit.

Διψυχος (δις, ψυχη), proprie *bianimis*, duplici significatione occurrit. Nam, ut notat Pott in h. l., « διψυχος dicitur tum *is qui aliter agit ac sentit, ita ut ex alio animo actiones, ex alio cogitata proficisci videantur*, verbo *hypocrita;* tum *is qui inconstans est in sentiendo, cogitandoque*.... Hoc loco διψυχον denotare hominem qui modo sperat modo desperat, utrum votorum compos futurus sit necne, vel hominem qui modo Deo confidit, modo diffidit (διακρινομενος), contextus satis declarat. » Nec aliter Syrus interpres vocem illam intellexisse videtur. Vertit enim : ܐܝܢܐ ܕܦܠܝܓ ܒܡܚܫܒܬܗ h. e. *qui divisus* (est) *in mente sua*, qui nempe in cogitationibus suis anceps est. — Ellipsis, alioquin frequentissima, verbi εστι, hic agnoscenda

(1) *Gram. Græc.* §. 57. pag. 471.

est. — Ἀκαταστατος (α priv. et καθιστημι), qui *in uno loco non consistit*, *inconstans*. — Ὁδοι, ut hebr. דֶּרֶךְ (cf. Ps. X. 5; CXIX. 5. etc.), metaphorice usurpatur de *universa vitæ ratione*. Cf. Act. XIV. 15; 1 Cor. IV. 17.

ỳ. 9-11. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua: [10] dives autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit : [11] exortus est enim sol cum ardore, et arefecit fœnum, et flos ejus decidit, et decor vultus ejus deperiit : ita et dives in itineribus suis marcescet.

ỳ. 9-11. Καυχάσθω δὲ ὁ ἀδελφὸς ὁ ταπεινὸς ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ· [10] ὁ δὲ πλούσιος ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ, ὅτι ὡς ἄνθος χόρτου παρελεύσεται. [11] Ἀνέτειλε γὰρ ὁ ἥλιος σὺν τῷ καύσωνι, καὶ ἐξήρανε τὸν χόρτον, καὶ τὸ ἄνθος αὐτοῦ ἐξέπεσε, καὶ ἡ εὐπρέπεια τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἀπώλετο· οὕτω καὶ ὁ πλούσιος ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ μαρανθήσεται.

Paraphrasis. *Lætabundus porro glorietur de exaltatione sibi reservata frater in abjectam paupertatem propter Christum redactus; dives autem glorietur et ipse, si lubeat; sciat tamen se non habere unde glorietur, nisi de misera conditione sua, quippe qui tamquàm flos graminis evanescet. Sol siquidem exortus est, simulque cum eo ventus urens; et gramen adussit, et flos graminis decidit, et periit decora species ejus : sic et dives, dum per florida incedit itinera, subito marcescet.*

ỳ. 9. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua.*) Vers. 2 et sqq. totus fuerat Jacobus in adhortando Christi-fideles, ut summum gaudium reputarent, in varias tribulationes incidisse. Ab hoc vero themate aliquantisper digressus fuerat, ut eos, qui sapientia ad tribulationum utilitatem rite æstimandam necessaria indigerent, edoceret quomodo illam consequi valerent. Porro orationem

per digressionem hanc interruptam, mediante particula δε nunc recipit, ita tamen ut de generali ad particulare descendat, quasdam speciales tribulationes perlustrando, ad quas lubenti animo tolerandas auditores suos iterum incitat. Orditur itaque ab iis, qui pro CHRISTI nomine bonorum suorum rapinam passi fuerant (Heb. X. 34), eosque sic alloquitur : *lætabundus glorietur de exaltatione sibi reservata frater in abjectam paupertatem propter Christum redactus.*

Καυχασθω, quia referre videtur illud *v.* 2. πασαν χαραν ηγησασθε, de tali gloriatione intelligimus, quæ *lætando* et *exsultando* se prodat, ut Rom. V. 2. 3. Quem sensum et in versione septuaginta virali vox illa obtinet, nempe Ps. XCIII. (Heb. XCIV.) 3; et CXLIX. 5, ubi καυχασθαι respondet hebraïco עָלַז quod est *exsultavit*, *jubilavit*. Objectum illius exsultationis hic per præpositionem ἐν, alibi (Rom. V. 2.) per ἐπι inducitur. — Voci αδελφος articulus præponitur, utpote *collective* significanti. Inter universos Christianos *certum* ac *definitum* aliquod genus Apostolus cogitat, illorum scilicet qui, propter suam Christianæ fidei professionem, ταπεινοι effecti fuerant. — Ταπεινος, quod proprie est *humi repens*, *humilis*, metaphorice illum qui in *humili* sive *abjecta conditione* versatur designat. Quum autem huic voci antithetice opponatur πλουσιος, abjectio hæc respectu divitiarum potissimum intelligenda est. LXX interpretes eodem vocabulo verterunt אֶבְיוֹן (Is. XXXII. 7), ubi Vulgata ipsa *pauper* habet. — Ὑψος, propric *altitudo*, metaphorice *statum summæ dignitatis* denotat. Quod ad rem attinet, *gloriari in exaltatione sua*, vix differre putaverim ab eo quod dicit PAULUS (Rom. V. 2): *gloriari in spe gloriæ filiorum Dei;* ubi omnis qui reliquerit sua propter CHRISTUM, *centuplum accipiet et vitam æternam possidebit* (Matt. XIX. 29). Cf. 1 Petri IV. 12. 13.

℣. 10. ***Dives autem in humilitate sua.***) Hæc cum præcedenti versiculo intime cohærere, ipsa *antilhetica* (δε) structura, immo et omissio Verbi satis demonstrant. Verum, quis sit præcise nexus qui inter duos versus illos intercedat, haud ita facile est decernere. Quod vel ex interpretum in hisce verbis exponendis dissensu abunde liquet. Tota res a Verbo quod supplendum sit fere pendet. Sunt porro qui cum OECUMOENIO et ESTIO putant *eclypticum* (1) esse sermonem,

(1) De hac breviloquentiæ specie vid. *Gram. Græc.* §. 66. pag. 540. δ.

qui supplendus sit verbo contrariæ significationis, ut 1 Tim. IV. 3. Sensum igitur hunc faciunt : *Dives autem confundatur in humilitate sua*, id est, pudefiat ac sibi displiceat, cogitans ac secum reputans suam vilitatem, atque rerum, in quibus confidit, instabilitatem. — Alii cum CAJETANO volunt verbum *glorietur* hic esse repetendum, et quidem in eadem prorsus significatione : ita ut edicat Apostolus : *divitem gloriari debere in humiliatione sui*, hoc est, dum contingit ipsum humiliari et a statu divitiarum cadere. Hæc vero interpretatio et antithesim tollit, et cum sequentibus, quæ increpationem continere videntur, parum cohæret. — Equidem maluerim cum Ven. BEDA verbum *glorietur* ita repetere, ut *ironice* dictum habeatur. PAULUS pariter *ironice* loquitur 1 Cor. IV. 8. Putaverim autem duplicem fuisse in hoc proferendo JACOBI scopum. Voluerit enim et fidelibus, propter CHRISTUM in paupertatem redactis, novum patientiæ immo et gaudii motivum, ex instabilitate divitiarum ductum, proponere; et simul divites illos qui fratres a persecutoribus spoliatos superbe despiciebant, nec de sua substantia adjuvabant, quosque capp. II et V durius increpat, jam indirecte impetere. Sensum igitur hujus commatis liberius sic reddiderim : *Dives autem glorietur et ipse, si lubeat : sciat tamen se non habere unde glorietur nisi de misera conditione sua....* Divitiæ quippe nullam *per se* regni cœlorum obtinendi spem faciunt. Cf. Matt. XIX. 23. 24. — Itaque per τον πλουσιον, non quemlibet divitem, sed illum qui Christianæ charitatis immemor sit et in divitiis suis spem suam reponat, Apostolus intellexerit. — Ταπεινωσις licet proprie significet *actum* quo ea quæ altitudine sua eminebant deprimuntur, nonnumquam tamen *conditionem abjectam et miseram* denotat. Cf. Luc. I. 48.

quoniam sicut flos fœni transibit.) Illam divitis ταπεινωσιν Apostolus comprobat, vivida quadam et auctoribus sacris, quoties aliquid maxime fluxum et caducum describere volunt, usitatissima (cf. Isaï : XL. 6-9; Job. XIV. 2; Ps. XXXVI. 2; CII. 15; 1 Pet. I, 24.) comparatione usus; floris nempe graminis (χορτου), qui vix natus aruit. Sic enim dives cum omni gloria sua mox evanescet (παρελευσεται).

ỹ. 11. *Exortus est enim sol cum ardore*, cet.) Comparationem tribus vocabulis modo expressam, eleganti descriptione JACOBUS *explicat*, eamque quasi *justificat* (γαρ). — Aoristi qui in hoc ver-

siculo occurrunt, non aliam vim habent quam *Temporis historici* : Aoristus quippe solenne Tempus est *narrantis*. — Καυσων primario quidem *æstum*, maxime solis, significat; sæpe tamen in versione septuagintavirali, pro רוּחַ קָדִים seu illo *vento orientali* vehementissimo, qui media quandoque spirat æstate, atque segetes plantasque ardore suo confestim exurit, ponitur. Cf. Job. XXVIII. 21; Jerem. XVIII. 17; Ezech. XVII. 10, ubi ξηραινειν ipsi tribuitur; Jonæ IV. 8, ubi αμα τῳ ανατειλαι τον ηλιον consurgit; cet. Eadem voce קָדִים AQUILA (Gen. XLI. 6) et SYMMACHUS (Exod. X. 13) interpretantur (1). Porro JACOBUM per καυσωνα ventum illum exprimere voluisse, cum ex articuli appositione, tum ex effectu huic καυσωνι adscripto, haud immerito concluseris. — Εξηρανε, forma *attica* est Aor. a ξηραινω. — Ευπρεπεια, quæ alibi in N. T. non comparet, HESYCHIO est ευμορφια, *pulchritudo*. — Προσωπον, ut et hebraicum פָּנִים, quando de rebus inanimatis prædicatur, externam earum speciem denotat.

ita et dives in itineribus suis marcescet). Per Πορειας sive *itinera*, metaphorice varia divitis studia significantur, quibus, quasi per totidem semitas incedens, opes, honores et gaudia continuo anhelat, iisque fruitur.

Hunc itaque divitem, dum lætus per amœnas vias suas progreditur, insperata rerum conversione, morbo, morte aliove infortunio correptum, et, tamquam florem adustum, marcescentem JACOBUS cogitat.

ỷ. 12. Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

ỷ 12. Μακάριος ἀνὴρ ὅς ὑπομένει πειρασμόν· ὅτι δόκιμος γενόμενος λήψεται τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, ὅν ἐπηγγείλατο ὁ κύριος τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν.

(1) S. HIERONYMUS *comment. in Ezech. l. VIII.* ad cap. XXVII. 26, ad verba græca *το πνευμα του* Νοτου, notat : *qui significantius* קדים, *græce καυσων interpretatur; quem nos in ventum urentem transferre possumus.* — Opp. tom. V. pag. 321.

PARAPHRASIS : *Beatus vir qui tentationi non cedit : quia, probatus et fidelis repertus, accipiet præclaram illam coronam, vitam dico æternam, quam Deus veris Christianis repromisit.*

℣. 12. *Beatus vir qui suffert tentationem.*) Interpretes plerique statuunt præsentem versiculum ad anteriorem pericopam etiam pertinere, eoque claudi exhortationem illam ad tribulationes, ob fidem immissas, constanti lætoque animo perferendas. Verum Apostolum sermonem suum hic convertere ad eos qui variis tentationibus internis, calamitates externas ceteroquin comitari solitis, ad peccatum sollicitantur, duo mihi suadent. Uuum est, quod vers. 12 cum sequentibus, ubi de tentationibus illis certo certius agitur, intime cohærere videatur; nec putaverim Apostolum voces πειραζομενος, πειραζει (*v.* 13), πειραζεται (*v.* 14), in significatione prorsus diversa ab ea quam voci πειρασμος hic tribuerit, ex abrupto usurpasse. Alterum autem hoc est : si, cum plerisque interpretibus, de tribulationibus externis in præsenti loco sermonem iterum fieri volueris, tunc utique fatendum erit JACOBUM, eos alloquentem qui internis tentationibus torquentur ac solamine summopere indigent, nullum pro ipsis adhortationis et consolationis verbum posuisse. Igitur πειρασμον hic intelligimus, ut Matt. VI. 13, et alibi, tentationem qua homo interius, instigante scilicet diabolo, vel etiam naturæ fragilitate suadente, ad malum inclinatur. Et ita præsentem locum intellexisse videtur OECUMOENIUS.

Itaque sicuti dixerat (*v.* 2) : *Omne gaudium existimate*, et (*v.* 9) *glorietur frater*... ita nunc proclamat : *beatus vir*, i. e. *beatus prædicandus est vir*... Solennis autem hæc formula fuit auctoribus sacris utriusque fœderis, atque etiam CHRISTO, sive cum hortarentur ad aliquid magni præstandum, sive cum eximiam aliquam virtutem laudarent. Formula opposita, æque usitata, erat : *væ homini*... — Υπομενειν proprie est *remanendo sustinere*, ac proinde hic pravæ suggestioni non cedere, sive ut habet MATT. XXVI. 41, *non intrare in tentationem*.

quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, cet.)

"Οτι rationem reddit cur beatus prædicandus sit is qui in tentatione immotus permanet. — Δοκιμος γενομενος verbotenus est *probatus factus*, ideoque fidelis ac sincerus inventus. Δοκιμος quippe proprie dicitur de metallis quæ, ab aurifabris in igne examinata, probata ac genuina reperiuntur. JACOBUS in mente habuerit illud Eccli. XXVII. 6 : *vasa figuli probat* (δοκιμαζει) *fornax, et homines justos tentatio tribulationis.* — In dictione τον στεφάνον ζωης, vox ζωης est Genitivus *appositionis*, ut vox περιτομης Rom. IV. 11. Sensus est : *accipiet coronam, id est, vitam æternam.* Articulus voci στεφανος præponitur, quia non agitur de qualicumque corona, sed de illa κατ' εξοχην, quæ quidem in mentem auditorum non poterat non venire. Hæc autem metaphora scriptoribus sacris perquam familiaris est, utpote qui præsentem vitam tamquam *agonem*, æternam vero tanquam *coronam* iis, qui in hoc agone vicerint, decernendam, spectare consueverunt. Cf. 1 Cor. IX. 25; 2 Tim. II. 5; Apocal. II. 10, cet.—Per *diligentes Deum* intellexerim, ut verbis utar ill. D. BEELEN, eamdem locutionem (ad Rom. VIII. 28) interpretantis, *eos qui Dei mandata observant, adeoque pie, juste, ac sobrie vitam suam instituunt; uno verbo veros Christianos.* — Insignis est præsens locus ad firmandum Catholicum dogma de *merito bonorum operum.*

ỷ. 13-15. Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentat. [14] Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. [15] Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum : peccatum vero cum consummatum, generat mortem.

ỷ. 13-15. Μηδεὶς πειραζόμενος λεγέτω· "Οτι ἀπὸ Θεοῦ πειράζομαι· ὁ γὰρ Θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν, πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα. [14] "Εκαστος δὲ πειράζεται ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος· [15] εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν· ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον.

Paraphrasis. *Nemo tamen cum tentatur dicat : a Deo tentor : Deus enim, ut ad ea quæ mala sunt sollicitari ipse nequit, ita nec homines ad hæc sollicitat. Sed unusquisque tentatur a sua concupiscentia, dum nempe per eam a bono abstrahitur et ad malum allicitur. Concupiscentia porro simul atque aliqualem mentis adhæsionem provocaverit, jam peccatum parit : peccatum vero statim ut perfectum fuerit, perfecto scilicet mentis assensu, mortem infert animæ.*

℣. 13. *Nemo cum tentatur, dicat* cet.) Quum optime novisset Apostolus, fideles in æstu tentationum facile in obmurmurationem adversus Deum incidere, quasi ipse eorum pressuræ auctor foret; ad hoc præcavendum, veram tentationum causam ipsis aperire voluit. Hanc porro causam a Deo absolute removet (*v.* 13); illam vero propriæ uniuscujusque concupiscentiæ adscribit, variosque gradus, per quos concupiscentia fideles ad interitum trahat, describit (*vv.* 14. 15). — Improbabile autem non est, uti post nonnullos, ad h. l. notavit Estius, hujus loci doctrinam adversus eos etiam dirigi, qui ex epistolis Paulinis, ubi legebant quosdam a Deo tradi in desideria cordis eorum, et in passiones ignominiæ, et in reprobum sensum (Rom. I. 24); item obdurari et excæcari (IX. 18; XI. 7 sqq.); occasionem erroris sumpserint, ut putarent homines nonnumquam ab Ipso Deo ad peccandum impelli.

Participium πειραζομενος in Verbum Finitum, adhibita conjunctione *cum*, interpres noster scite vertit. Πειραζομαι autem, ut jam monuimus, de tentatione qua homo ad peccatum allicitur, in his versiculis adhibetur. — Particula ὅτι (Vulgata : *quoniam*) est hic *recitativa*, ut vocant; h. e. inservit ad inducendam recitationem illius sententiæ quam Jacobus tentatos proferre vetat. In græco est oratio *directa*. Non ideo tamen lectionis varietatem cogitare debemus : alibi enim in simili casu (Act. VI. 11) orationem obliquam vulgatus interpres pariter usurpavit. — In locutione απο Θεου, præpositio απο, translata significatione, causam a qua aliquid *ortum* sive *originem* trahit, denotat. Notandum tamen est απο rarius in prosa de rebus viventibus hoc sensu adhiberi.

Opportunum quidem in præsenti loco exemplum habemus, ad ele-

vandum falsum Rationalistarum principium, quo statuunt, voci θεος, quoties in S. Litteris summum ac verum Deum declarat, articulum præponi.

Deus enim intentator malorum est, cet.) Rationem reddit (γαρ) cur nefas sit dicere aliquem a Deo tentari. Ratio autem hæc in eo sita est quod *Deus*, ill. D. BEELEN (1) verbis utor, *ut ad ea quæ mala sunt sollicitari ipse nequit, ita nec homines ad hæc sollicitat.* Hunc quidem sensum vulgata versio non patitur : verum putem D. HIERONYMUM vocem απειραστος (2) (legerit forsan απειραστης) non recte vertisse. Præterquam enim quod voci απειραστος significationem *activam*, quæ alias non occurrit et verbalibus in τος rarius competit, tribuat, orationem tautologicam facit ; bis enim idem repetit. Antiquus interpres Syrus passivo sensu vocem hanc etiam intellexit : nam απειραστος κακων reddit : ܠܐ ܡܬܢܣܐ ܒܒܝܫܬܐ h. e. *non tentatus a malis*. Pariter Arabs : necnon THEOPHYLACTUS et OECUMOENIUS.—Apposite porro ESTIUS ad h. l. notat : « Valet Apostoli probatio : nam ejusdem naturæ est, incitari posse ad peccandum, et alios incitare : quare si illud non potest Deus, nec istud poterit. »

Genitivum κακων ad Genitivos *dependentiæ* recte reduxeris. Cf. 1 Cor. II. 13; 2 Pet. II. 14. Mala autem hæc *moralia* esse intelligenda, contexta oratio dubitare non sinit.— Δε hic intime conjungere videtur, non tamen sine aliqua verborum oppositione. — Est inter απειραστος et πειραζει *elegans quædam Paronomasia*, sive *Agnominatio*.—Quonam vero sensu Deus in S. Litteris tentare nonnumquam dicatur, in peculiari excursu, in quo quæstionem de tentationibus breviter contrahemus, ad finem capitis exponetur.

℣. 14. *Unusquisque vero tentatur a concupiscentia* cet.) Falsæ huic opinioni, qua aliquis se a Deo ad malum incitari arbitraretur, quamque statim confutavit, Apostolus veram tentationum causam nunc opponit (δε), earum *ortum*, *progressum* ac *terminum* vivida quadam metaphora describendo.—Tentationum autem originem

(1) *Gramm. Græc.* pag. 196.

(2) Pro απειραστος, qui tamen apud GALENUM et JOSEPHUM et nonnullos Patres græcos occurrit, veteres dixere απειρατος et απειρητος (Ionice).

a concupiscentia repetendo, frequentem Diaboli operam non ideo excludit. Quinimmo illam aperte asserit, ubi cap. IV. 7 scribit : *resistite autem diabolo, et fugiet a vobis*. Ceterum diabolus concupiscentia tanquam medio plerumque utitur ut homines ad peccatum sollicitet.

Itaque *tunc* incipit tentatio (εκαστος πειραζεται) *cum* homo, inclinante concupiscentia, a boni studio *abstrahitur* (εξελκομενος) et oblectamentis mali *allicitur* (δελεαζομενος). In græco duo Participia Passiva Præsentis temporis occurrunt, quæ a Verbo finito πειραζεται pendent : ideoque dubium non est quin per talem conjunctionem, quæ coexsistentiam denotet, in Verbum finitum vertenda sint. — Δελεαζειν proprie dicitur de piscatoribus qui, esca proposita, pisces in retia aut ad lineam alliciunt, ut eos capiant. — Υπο in libris N. T. quam frequentissime translato sensu post verba Passiva de *auctore* actionis ut et de rei *causa efficiente* legitur (1). Notione igitur cum απο (vers. præc.) fere convenit : arctius tamen υπο nectere solet. — Επιθυμιαν, *concupiscentiam*, sensu generali hic intellexerim, ut Rom. VII. 7 et Gal. V. 16, quatenus nempe singulas cupiditates malas comprehendat. Loquitur enim JACOBUS non de peculiari quadam tentatione, cujus quidem causa et radix est specialis aliqua concupiscentia, sed omnem generaliter tentationem præ oculis habet.—Concupiscentia autem per *Prosopopœiam* tamquam insignis quædam meretrix exhibetur, quæ hominem illecebris suis allicere et illaqueare, ut ipsum ad crimen attrahat, nitatur.

Quod ad rem Theologicam attinet, notandum est concupiscentiæ motum in hoc versiculo descriptum, et quem Theologi vulgo *primoprimum* vocant, ex mente JACOBI culpa prorsus carere : concupiscentia enim nonnisi postquam conceperit, peccatum parit. Imo tentatum, si motus illos superaverit, *coronam vitæ* inde promereri, vers. 12 Apostolus obtestatus est. Valet igitur præsens locus (collatis scilicet *vv.* 12, 14 et 15), ad firmandam catholicam doctrinam quam Sancta Tridentina Synodus, sess. V. *de peccato originali n.* 5, hisce verbis declaravit : *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta synodus fatetur, et sentit : quæ quum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, et viriliter per Christi*

(1) *Gram. Græc.* §. 51, pag. 399.

Jesu gratiam repugnantibus non valet : quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat.

℣. 15. *Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; cet.*) Tentationis *progressum*, ejusque *effectum*, si homo ipsi totis viribus non obsistat, JACOBUS describit. Ad rectam vero hujus loci intelligentiam, sequentia notanda sunt. 1° Concupiscentia *concipere*, metaphora dempta, dicitur, cum ejus, quam accendit, vividæ imaginationis ope, aliqualem mentis adhæsionem seu delectationem provocat. — 2° Concepta autem hac imperfecta delectatione (συλλαβοῦσα), concupiscentia statim *peccatum parit*. Quod tamen, quia nondum consummatum est, sed imperfecto tantum mentis assensu constat, nondum generat mortem. Motus est quem Ethici *secundo-primum* vocant. Veniale autem non excedit. — 3° Per peccatum *consummatum* seu *perfectum* (ἀποτελεσθεῖσαν), nonnulli veteres, quos ESTIUS sequitur, peccatum opere externo completum intelligunt : quippe qui partum peccati in absoluto jam consensu reposuerunt. Verum huic interpretationi illud maxime obstat quod peccato consummato tantum JACOBUS generationem mortis tribuat. Jam vero peccatum mere internum hunc effectum procurare Catholicorum nemo negaverit. Insuper, actus exterior peccati *per se* nullam malitiam formaliter distinctam addit actui interiori efficaci. Itaque peccatum *consummatum* intelligimus illud quod pleno ac deliberato mentis rei aut delectationi illicitæ assensu perficitur. Nobiscum plane sentit cl. STAPLETONIUS qui (*in Antid. Evang. ad Matt. V.* 28), recitatis JACOBI verbis, subjungit : « distinguit disertissime conceptus peccati, quæ sunt primæ punctiones, a partu, id est, ab ipso peccato, veniali scilicet et imperfecto; et partum a consummatione, id est, a consensu, qui solus ex se generat mortem, et est mortale peccatum. » — 4° *Mortem* porro, quam peccatum consummatum generare dicitur, rationalistæ, utpote ordinem supernaturalem penitus rejicientes, de pœnis ac miseriis hujus vitæ, arbitraria prorsus et contorta explicatione, interpretantur. Ex contexta oratione manifesto patet Apostolum agere

de *morte spirituali*, qua nempe anima *gratia sanctificante*, quæ ipsius vita est, privatur. Hanc mortem JOHANNES intelligebat scribens (Apocal. III. 1) : *scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es.* — Vim igitur dogmaticam habet locus iste JACOBI ad stabiliendum catholicum dogma de distinctione peccatorum in *venialia* et *mortalia.*

ỳ. 16-18. Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi. [17] Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. [18] Voluntarie enim [a] genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus.

ỳ. 16-18. Μὴ πλανᾶσθε, ἀδελφοί μου ἀγαπητοί. [17] Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. [18] Βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας, εἰς τὸ εἶναι ἡμᾶς ἀπαρχήν τινα τῶν αὐτοῦ κτισμάτων.

PARAPHRASIS. *Absit procul a vobis, fratres mei dilecti, error ille quo Deum tentationum auctorem reputaretis. Econtra quidquid est boni, quidquid perfecti, cœlitus descendit, videlicet a Patre luminum, cui nulla inest mutatio, immo nec mutationis umbra; qui proinde homines ad malum incitare nequit. Ipse gratuito prorsus benignitatis suæ decreto regeneravit nos per verbum veritatis, quod est Evangelium; idque ut essemus veluti primitiæ sive pars aliqua præcipua creaturarum suarum, hominum dico.*

VARIANS LECTIO.

a) Particula *enim* hoc loco a codicibus græcis prorsus abest, ut et ab antiquis versionibus Syriaca, Arabica et Itala. Imo testatur Estius multos et probatos codices latinos eam non agnoscere. Nec eam legit ipse Hieronymus lib. I. *adv. Jovinianum*, ubi ad n. 39, *vv.* 17 et 18 Jacobi recitat.

℣. 16. *Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi.*) Græce et syriace absque ulla illationis nota legitur : *ne erretis, fratres mei dilecti*. Transitio est qua præcedentia cum sequentibus feliciter nectuntur. Sensum autem liberius sic expresserim : *Absit procul a vobis, fratres dilecti, error ille quo Deum tentationum auctorem reputaretis : cum econtra ipse sit immutabilis auctor et fons omnis boni*. Argumentaturus est *a contrario*. — Πλανασθαι (med.) proprie : *a recta via aberrare;* hic igitur *a veritate abduci et in errorem induci*.

℣. 17. *Omne datum optimum, et omne donum perfectum cet.*) Δοσις et δωρημα, quamvis si Grammaticæ leges spectes, inter se cohæreant uti *actio* et *effectus*, sive *donatio* et *donum*, ex usu tamen loquendi pro synonymis sæpe habentur. Majoris emphaseos causa auctor sacer illa congesserit. Interpres syrus utrumque per unum vocabulum ܡܘܗܒܬܐ h. e. *donum*, reddidit. — Πας, quando a Nomine, quocum in Singulari Numero construitur, abest Articulus, significat *omnes singulatim* esse intelligendos. — Εστι καταβαινον. Hæc structura participii præsentis cum verbo ειναι, simplex est verbi finiti periphrasis : quæ quidem Aramæis solennis est. — Quid sit ἄνωθεν, statim explicatur per verba απο του πατρος των φωτων. Απο, *originis*. — Των φωτων pro genitivo *effectus* habuerim, sicut Rom. VIII. 2. πνευμα της ζωης. Deus autem recte *Pater luminum* dicitur, qui et ipse *lux est, et tenebræ in eo non sunt ullæ* (I. Joh. I. 5), et *lucem inhabitat inaccessibilem* (I. Tim. VI. 16); qui *fecit cœlum, et cœlum cœlorum, et omnem exercitum eorum*

(II Esd. IX. 6); qui est *lux vera quæ illuminat omnem hominem* (Joh. I. 9); a quo demum procedunt quæcumque ad homines beandos spectant. Notum est Hebræos imaginem *lucis* frequenter usurpare ad prosperitatem et felicitatem quamvis exprimendam. Apposite valde JACOBUS *Patrem luminum* illum vocat, a quo concupiscentiæ, cujus proprium est animos hominum obtenebrare et excæcare, causam procul arcendam prædicat. — Per Patrem luminum totam SS. Trinitatem esse intelligendam, dubitari non potest : cum omnia opera *ad extra* tribus Personis communia sint.

apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.) Dixerat Apostolus : *quidquid est boni et perfecti, cœlitus descendit, videlicet a Patre luminum.* Nunc subdit : *cui nulla inest mutatio, immo nequidem mutationis umbra.* Unde cuique pronum erat concludere : ergo Deus tentationum auctor esse nequit. Quod erat probandum.

De forma ἔνι quæ hic occurrit, ut et I Cor. VI. 5, Gal. III. 28, et Coloss. III. 11, non una est omnium sententia : aliis ex ενεστι contractam, aliis pro simplici εστι positam existimantibus. Equidem ill. D. BEELEN (1) secutus, senserim cum VALCKENARIO cui WINERUS, KÜHNERUS, aliique consentiunt. « Verborum παρειμι, inquit VALCKENARIUS (*Schol.* in I Cor. VI. 5), επειμι, μετειμι et ενειμι *tertiæ personæ* tam singulares quam plurales, apud elegantiores scriptores græcos nonnumquam designantur per solas *Præpositiones*, in quibus accentus tum ex ultima retrahitur in penultimam. Sic πάρα scribitur pro παρεστι, vel παρεισι, eademque ratio est in επι, μετα. Quia autem ἐν erat monosyllabicum, ad illud ι adjecerunt, ut scribi posset et pronunciari ἔνι, quod nostrum est *Paulinum* (ουκ ἔνι εν ὑμιν. I. Cor. VI. 5). Propter loca N. T. paulo propius spectandum est ἔνι. Eximie illud ponitur pro ἔνεστι *inest*. Sed hoc compositum quandoquidem ponitur sæpe pro simplici εστι, non mirum est ἔνι quoque in hunc sensum adhiberi. In PAULI locis citatis (Gal. III. 28; Coloss. III. 11) ἔνι ponitur pro ἐστί *est*. Sed nostro loco (1 Cor. VI. 5.) ponitur propria vi, et significat *inest*, uti etiam in ep. JACOB. I. 17.... Fluxit autem ille usus ad HOMERO, in cujus observari poterit *Iliad.* ξ. *v.* 216.

(1) *Gram. Græc.* §. 14. adnot. 2. p. 60 sq.

Præ ceteris frequentavit SOPHOCLES.... In *Electra v.* 1037; *OEdip. Tyr. v.* 178; *OEdip. Cot. v.* 1129; in *Philoct. v.* 650. » Hactenus ille. Igitur παρ ᾧ ουκ ἔνι pleonastice dictum fuerit pro ᾧ ουκ ἔνι : nec hujusmodi pleonasmus græcis infrequens est.

Voces παραλλαγη η τροπης αποσκιασμα, quæ alibi in N. T. non occurrunt, e scientia astronomica desumptas esse, jam notarunt CORN. A LAP., ESTIUS et LORINUS, ac defendunt nonnulli recentiores Philologi. Nolim tamen vim illam astronomicam urgere : tum quia in ipsa vocabulorum notione definienda non parum dissentiunt Philologi illi; tum quia JACOBUM de subtiliori hac metaphora vix cogitasse facile crediderim; tum demum, quia voces græcas notionem propriam per se babere ex Lexicographis abunde constat. Sic HESYCHIO παραλλαγὴ est ἐναλλαγὴ, ἀλλοίωσις· h. e. *immutatio, conversio*; et τροπῆς ἀποσκιασμα· ἀλλοίώσεως καὶ φαντασίας ὁμοίωμα· h. e. *conversionis et imaginationis simulacrum*. Quod ETYM. M. explicat per μεταβολῆς ἴχνος, *mutationis vestigium* : et SUIDAS τροπῆς ἀποσκίασμα· ἀντὶ τοῦ ἀλλοιώσεως καὶ μεταβολῆς ἴχνος, καὶ ὁμοίωμα φαντασίας· h. e. *conversionis et mutationis vestigium, et imaginationis simulacrum*. Quidquid sit, mens Apostoli aperta est, et omnimodam mutationem a Deo removet. Præcipuus est præsens locus ad firmandam absolutam Dei immutabilitatem, quam sequentibus verbis præclare describit S. HILARIUS (1) : *Nihil*, ait, *in æternam illam et perfectam naturam novum incidit : neque qui ita est, ut qualis est, talis et semper sit, ne aliquando non idem sit, potest effici aliquid aliud esse quam semper est...... Deus beatus atque perfectus profectu non eget, cui nihil deest : demutatione non novus est qui origine caret. Ipse est, qui quod est non aliunde est : in sese est, secum est, a se est, suus sibi est, et ipse sibi omnia est, carens omni demutatione novitatis, qui nihil aliud quod in se posset incidere, per id quod ipse sibi totum totus est, retiquit.*

℣. 18. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis.*) Quamquam versiculus iste cum præcedentibus nulla particula (vid. var. lect.) copulatur, non est tamen dubitandum quin eum antecedente ver-

(1) *In Ps.* 2. n. 13. Opp. tom. I. p. 37 sq. Ed. BENEDICT.

siculo intime cohæreat. Quod evincit vel ipse subjecti defectus in Verbo finito *απεκυησε*. Nexum autem rite perspexit Ven. BEDA. « Quod ergo dixerat, ait, *omne datum optimum et omne donum perfectum a Deo descendere*, consequenter astruit addendo, quia non nostris meritis, sed suæ beneficio voluntatis, per aquam regenerationis, de filiis tenebrarum nos in filios lucis mutaverit. » Addiderim JACOBUM thesim suam, quod nimirum Deus non sit tentationum auctor, in præsenti loco *indirecte* confirmare. Ex his enim quæ hic scribit, non concludere nemo poterat Deum, qui ex mera benignitate nos regenerare dignatus est, tentationes nullo pacto immittere posse : quum illæ ad regenerationis gratiam in homine perimendam præcise tendant.

Βουληθεις, quod Vulgata vertit *voluntarie*, Participium est Aoristi Verbi *βουλομαι*, de classe *Deponentium Passivorum*. Putaverim autem JACOBUM per illud *βουληθεις* nil aliud significare voluisse, quam quod Paulus significat quando scribit : *κατα την ευδοκιαν του θεληματος αυτου* (Eph. I. 5), et *κατ᾽ ιδιαν προθεσιν και χαριν* (II Tim. I. 9) vel simpliciter *κατα προθεσιν* (Rom. VIII. 28). Intelligimus igitur *Dei decretum quo ab æterno statuit lapsum perditumque hominum genus ex mera sua bonitate et clementia per Christum restituere in viam salutis* (1). — Απεκυησε de mera vitæ ac morum emendatione per Christianam Religionem effecta, Rationalistæ, quotquot sunt, intelligunt. Ast insolens est valde isthæc interpretatio.

Quamvis enim verbum *αποκυειν* de vera ac naturali generatione, quæ in Divinis soli Verbo competit, hic intelligi nullatenus valeat, non ideo tamen cuique licet quemlibet sensum metaphoricum pro lubitu ipsi affingere, sed illum solum quem fert communis usus : nam ad ejus normam omnis metaphora redigenda est. Porro nil frequentius in libris N. T. occurrit, quam notio illius generationis seu potius regenerationis spiritualis qua *filii Dei nominamur et sumus* (I Joh. III. 1. 2). Et si mente a præjudicatis opinionibus aliena ea loca (2) quis pervolverit, utique cum S. Tridentina Synodo (sess. VI. *de justificatione*) fateatur necesse erit : hanc regenerationem hujus-

(1) Cf. ill. D. BEELEN : *Comm. in ep. ad Rom.* ad cap. VIII. 28.

(2) Annotentur sequentia : Joh. III. 3, 5, 6, 14-17; Rom. III. 24, 25. V. 10-15, 17-19. VI. 2-11. VIII. 15-17; I Cor. III. 16. VI. 11; II Cor. V. 17; Gal. VI. 15; Eph. I. 7. II. 1-10. IV. 23, 24; Tit. III. 5, 6, 7; I Pet. I. 3, 18, 19, 23; II. Pet. I. 4; I Joh. II. 2. III. 9.

modi esse qua transferamur *ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, et adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Jesum Christum, salvatorem nostrum* (cap. IV); et justificationem consequamur *quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam* (1) *susceptionem gratiæ et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ......* (cap. VII). Quod fit dum JESU CHRISTI *sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus* nostris, *atque ipsis inhæret* (Ibidem). Hanc, quam descripsimus, spiritualem regenerationem, per vocabulum *απεκυησε* JACOBUM intellexisse, suadent et tota contexta oratio et locus parallelus I Pet. I. 23. 25 : *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum* (δια λογου) *Dei vivi..... Hoc est autem verbum quod evangelizatum est in vos.*

Equidem interpretationi nostræ contradicunt S. ATHANASIUS, *Orat. III in Arianos* (2), et OECUMOENIUS, *αποκυησιν* intelligentes ipsum creationis beneficium quo Deus sponte sua nos genuit, idque *Verbo veritatis*, h. e. per Verbum sibi consubstantiale, quod est ipsa veritas : conformiter ad illud Joh. I. 3 : *omnia per ipsum* (Verbum) *facta sunt.* — Verum hæc interpretatio ad scopum Apostoli et ea quæ in sequentibus traduntur minus recte quadrat. Deinde *verbum veritatis* intelligere debet ipsum Dei Filium. Porro CHRISTUM a nemine nisi a solo JOHANNE in N. T. *Verbum* appellari, interpretes merito observant. — In dictione

(1) Ad hoc vocabulum apposite notat VEGA, *de Justificatione* lib. V. cap. 2. « Ut significaretur, neminem adultorum absque propria voluntate sanctificari, adjectum est verbum *voluntariam*. Voluerunt enim Patres hoc loco stabilire veritatem fidei adversus dogma Lutheri, asserentis etiam nolentes et reluctantes adultos justificari. »

(2) Opp. tom. I. pag. 485. n. 61. Ed. BENEDICT. Hæc sunt ejus verba : *Τα μεν γαρ μη ὄντα ποτε, αλλ᾽ εξωθεν επιγινομενα, ὁ Δημιουργος βουλευεται ποιησαι· τον δε ιδιον Λογον εξ αὐτου Φυσει γενναμενον ου προβουλευεται· εν τουτῳ γαρ ο Πατηρ τα αλλα, οσα βουλευεται, ποιει, και δημιουργει εν τουτῳ· καθως και Ιακωβος ο αποστολος διδασκων ελεγε· βουληθεις απεκυησεν ημας Λογῳ αληθειας.* h. e. *Nam ea quidem, quæ aliquando non erant, sed extrinsecus postea fiunt, facere Creator deliberat : cum autem Verbum suum ex seipso natura gignit, præviam nullam adhibet deliberationem. Siquidem in eo Pater, quæcumque producere statuit, facit et creat : uti nos etiam Jacobus apostolus his verbis docet : Volens genuit nos Verbo veritatis.*

λογῳ αληθειας, λογῳ est Dativus *instrumenti; αληθειας* vero pro Genitivo *appositionis* habuerim, ita ut sensus sit: *verbo quod est veritas;* sicut aiebat CHRISTUS (Joh. XVII. 17): *ο λογος ο σος αληθεια εστι.* Illud porro *verbum veritatis* proculdubio doctrina Evangelica est, quæ in S. Litteris modo *ο λογος* simpliciter (Act. VIII. 4, et passim), modo *ο λογος του Θεου* (Act. VI. 7. XIII. 44. etc.); nunc *ο λογος της χαριτος του Θεου* (Ibid. XIV. 3), nunc *λογος αληθειας* (II Cor. VI. 7) dicitur. Atque hanc etiam interpretationis nostræ partem locus PETRI, quem modo recitabamus, maxime commendat. Et re quidem vera verbum evangelicum regenerationis sive justificationis *quasi-instrumentum* merito habetur: nam, ut ait Paulus (Rom. I. 17): *justitia Dei..... ex fide in fidem;* verum *quomodo credent ei quem non audierunt* (X. 14)?..... *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (*v* 17). Ideoque *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti* (I. 16), h. e. *Dei salvifica quædam vis cuicumque qui credit.*

ut simus initium aliquod creaturæ ejus.) Indicatur *consilium* seu *finis* (*εις* ut Rom. IV. 11) quem Deus in hac regeneratione nostra sibi proposuit. — Εις το ειναι reddendum erat, non *ut simus,* sed *ut essemus.* Hoc enim postulabat *consecutio* Temporum, cum præcessisset Aoristus *απεκυησε* (*genuit*). Ceterum interpres noster sæpissime hanc consecutionem negligit. — Απαρχην cur Vulgatus auctor verterit *initium*, quod sane orationem obscuriorem facit, non video. Novies in N. T. vox illa occurrit, et nullibi sic reddita est. Vetus itala *primitiæ* legit, nec aliter ipse HIERONYMUS, lib. 1. *adv. Jovinianum.* Porro *απαρχη* proprie designat *primitias frugum*, quæ a reliquis frugibus separandæ et Deo consecrandæ erant (Levit. XXIII. 10, 11. Deuter. XXVI. 2). Itaque, dempta metaphora, JACOBUS significare voluerit, Deum nos regenerasse, ut essemus primitiæ quædam, id est, pars selecta generis humani, quæ ipsi offerretur et consecraretur: uno verbo, *genus electum* et *populus acquisitionis* (I Pet. II. 9). Qua sane interpretatione et excellentia doni nobis a Deo gratis concessi multum commendatur, et adhortationibus quæ statim sequuntur via sternitur. — Τις *Substantivis Nominibus* interdum additur ad extenuandam eorumdem notionem, maxime ubi inusitata aut audacior quædam metaphora, ut in hoc loco, adhibita fuit. (1). — Κτισμα,

(1) *Gramm. Græc.* §. 25. 2. pag. 169.

quamvis proprie ad omnem creaturam pertineat, de hominibus per *synecdochen* usurpari posse, deficientibus quidem exemplis, haud immerito ex eo concluseris quod κτίσις, quocum in multis convenit κτίσμα, quæ purioris græcitatis vox est, de hominibus sæpe adhibeatur. Cf. Marc. XVI. 15; Colos. I. 23, etc. Ad homines porro vocem illam in præsenti restringendam esse, ipsa rei, de qua hic agitur, natura suadet.

℣. 19-20. Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. 20 Ira enim viri, justitiam Dei non operatur.

℣. 19-20. Ὥστε [a], ἀδελφοί μου ἀγαπητοί, ἔστω [b] πᾶς ἄνθρωπος ταχὺς εἰς τὸ ἀκοῦσαι, βραδὺς εἰς τὸ λαλῆσαι, βραδὺς εἰς ὀργήν. 20 Ὀργὴ γὰρ ἀνδρὸς δικαιοσύνην Θεοῦ οὐ κατεργάζεται.

Paraphrasis : *Hoc scitis, fratres mei dilecti. Sit porro quivis homo celer ad audiendum verbum illud veritatis; tardus autem et providus ad illud proferendum, ut sic ad iram non deveniat. Vir quippe iratus longe est ab illa justitia quam Deus a nobis requirit.*

VARIANS LECTIO.

a) Quamvis Complutensis lectio testibus gravibus non destituatur, ipsi tamen lectionem Vulgatæ auctoritate præstare putaverim. Ἴστε enim legitur in codd. ABC, ac in antiquis pluribus minusculis. Hanc quoque lectionem referunt versiones Itala, Coptica, et Armenica.

b) Post ἔστω additur particula δὲ in codd. BC et Barberino sæc. XI; necnon in versionibus Itala, Coptica et Vulgata.

℣. 19. *Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo* cet.) Ex indicato regenerationis fine a Deo intento, Apostolus occasionem sumit varias proponendi exhortationes ad vitam, uti regeneratorum *genus electum* decet, instituendam.

Quæ parænesis, si complutensem lectionem sequaris, inducitur per ὥστε *concludentis* (sic ὥστε legitur Rom. XIII. 2); si vero Vulgatæ adhæreas, inducitur per δὲ *transeuntis* (ἔστω δὲ). Oratio sane gravior apparet, si cum Vulgata legas : *scitis fratres*. Est enim in illa quasi-contestatione, aliquid solemnitatis quod animos ad considerationem magis attentam sollicitet. Dubium autem non est, illud *scitis* referendum esse ad ineffabile regenerationis mysterium, quod Apostolus modo declaravit. — Ἴστε, pro quo in seriore græcitate adhibitum reperimus οἴδατε, apud veteres in usu frequentissimo fuit. Legitur etiam Ephes. V. 5; Hebr. XII. 17. — Πας ανθρωπος, *quivis homo* : πας ut supra *v*. 17.

velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram.) Græce tria hæc *asyndetice* enunciantur : quod orationem vividiorem facit. Hujusmodi *asyndeton* sæpe obtinet in sententiis antitheticis, quo nempe fortior fiat oppositio. Cf. 1 Cor. XV. 43 seq.; 2 Tim. IV. 2. etc. Sensus est : *esto porro quivis homo celer ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram*. Bene ESTIUS ad h. l. : « Quoniam mentionem fecit Apostolus, ait, de verbo veritatis, per quod fuerant renati; nunc, ut in eo, per quod renati erant, permaneant atque proficiant, hortatur ad ejusdem verbi audiendi velocitatem, id est, promptitudinem et diligentiam.» — Εις hic valet *quod attinet ad* (1). — Infinitivus ακουσαι, ut et insequens λαλησαι, *nominascit*, ideoque præmissum Articulum habet : est autem uterque in Accusativo casu. Qui Infinitivi nominascentis usus, etiam in casibus obliquis, frequens est in libris N. T.

tardus autem ad loquendum.) Utique idem verbum veritatis : hoc enim postulat antithetica propositionis ratio. SALMERO ad h. l. apposite notat : « Verisimile est in illis Ecclesiæ incunabulis viguisse spiritum æmulationis, ut apostolicum et ecclesiasticum munus multi appeterent (cf. Phil. I. 15). Unde et in principio tertii capitis habet : *Nolite plures magistri fieri, fratres mei*. Unde et de hoc erant disputationes, ex quibus iræ, rixæ, et contentiones oriebantur : quod quidem vitium frater Domini tollere conatur, dum

(1) Exempla illius usus præpositionis εις e scriptoribus græcis collegit HERMANNUS *ad Vig*. cap. IX. sect. II. n. XI. not. 93.

hortatur ut omnes sint veloces ad audiendum, tardi autem ad proferendum sermonem.» Hoc autem ultimum in præsenti loco obiter tantum, et ex occasione, tangit : idipsum in cap. III uberius tractaturus.

et tardus ad iram.) Putaverim JACOBUM iram illam respicere de qua modo SALMERO; de ipsa autem mentionem nunc fecerit, quo magis fideles ab inordinato docendi desiderio jam deterreret. Quod ad rem attinet, vix aliud per *οργην* intelligendum hic videtur, quam id quod Apostolus infra (cap. III. 14) per *ζηλον πικρον* et *εριθειαν* expressit. Notandum porro est, quod merito observat ESTIUS ad h. l., Apostolum « non sic præcipere tarditatem irascendi, quomodo præcepit tarditatem loquendi; quasi bonum sit irasci, sicut bonum est loqui, modo tardi et providi simus ad utrumque : sed ab ira revocare tamquam ab affectu vitioso. »

℣. 20. ***Ira enim viri, justitiam Dei non operatur.***) Rationem breviter reddit (*γαρ*) cur ad iram, proinque ad loquendum, tardi simus oportet.— *Οργη ανδρος metonymice* pro *ανηρ οργιζομενος*. — *Operatur justitiam Dei* phrasis hebraïca est צִדְקַת יְהוָה עָשָׂה (Deuter. XXXIII. 21) : in qua vox צְדָקָה amplissimam notionem obtinet, et de *recte factis* universe usurpatur. Quo sensu *δικαιοσυνη* pluries in libris N. T. occurrit. Cf. Matt. III. 15; Luc. XII. 31; Act. X. 35 cet. — *Justitia Dei* ea est quam Deus requirit ac præcipit. *Litotes* est in illo *non operatur justitiam Dei* : negando enim contrarium, plus significat quam dicit. Vult autem dicere : *vir iratus multa committit contraria illi justitiæ quam Deus omni Christiano servandam præcipit.*

℣. 21-25. Propter quod abjicientes omnem immunditiam, et abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras. [22] Estote autem factores verbi, et non auditores

℣. 21-25. Διὸ, ἀποθέμενοι πᾶσαν ῥυπαρίαν καὶ περισσείαν κακίας, ἐν πρᾳότητι δέξασθε τὸν ἔμφυτον λόγον, τὸν δυνάμενον σῶσαι τὰς ψυχὰς ὑμῶν. [22] Γίνεσθε δὲ ποιηταὶ λόγου, καὶ μὴ μόνον ἀκροαταὶ, παραλογιζόμενοι ἑαυτούς. [23] Ὅτι εἴ τις ἀκροα-

tantum : fallentes vosmetip-
sos. 23 Quia si quis auditor
est verbi, et non factor : hic
comparabitur viro conside-
ranti vultum nativitatis suæ
in speculo : 24 consideravit
enim se, et abiit, et statim
oblitus est qualis fuerit.
25 Qui autem perspexerit in
legem perfectam libertatis,
et permanserit in ea, non
auditor obliviosus factus,
sed factor operis : hic beatus
in facto suo erit.

τὴς λόγου ἐστὶ καὶ οὐ ποιητὴς,
οὗτος ἔοικεν ἀνδρὶ κατανοῦντι
τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως αὐτοῦ
ἐν ἐσόπτρῳ· 24 κατενόησε γὰρ
ἑαυτὸν, καὶ ἀπελήλυθε, καὶ
εὐθέως ἐπελάθετο ὁποῖος ἦν.
25 Ὁ δὲ παρακύψας εἰς νόμον
τέλειον τὸν τῆς ἐλευθερίας καὶ
παραμείνας, οὗτος οὐκ ἀκροατὴς
ἐπιλησμονῆς γενόμενος ἀλλὰ
ποιητὴς ἔργου, οὗτος μακάριος
ἐν τῇ ποιήσει αὐτοῦ ἔσται.

PARAPHRASIS. *Itaque, abjecta omni carnis immunditia, omnique animi malitia, cum omni spiritus modestia suscipite doctrinam vobis traditam, quæ animabus vestris æternam valet afferre salutem. Ad hoc autem ea, quæ lex Evangelica jubet, opere præstetis necesse est, et non auditores tantum hujus legis sitis, vosmetipsos graviter decipientes. Nam si quis legis quidem cognitionem habeat, eam vero opere adimplere non satagat, is similis est viro qui faciem suam in speculo obiter tantum conspicit : qui scilicet semetipsum consideravit, et statim abiit, ideoque statim oblitus est qualis esset, ac proinde nullum exinde commodum reportavit. Qui vero incubuerit in legem perfectam, quæ est lex veræ libertatis, et inhæserit ei, non mera cognitione, quæ cito oblivioni datur, contentus, sed ea, quorum cognitionem adeptus est, exsecutioni mandans, hic utique beatus erit eo quod legi obsecutus fuerit.*

℣. 21. *Propter quod abjicientes omnem immunditiam*, cet.) Revertitur jam Apostolus ad præceptum de verbo Dei cum omni animi promptitudine audiendo, illudque disertius tradit et explicat. Transitio autem fit per διο h. e. δι' ὅ, *quare*, significatione relativa (ut Rom. II. 1); refertur enim ad hoc : *sit autem omnis homo velox ad audiendum* (*v.* 19). Sensum hujus commatis in paraphrasi expressimus.

Vis vocabuli αποθεμενοι, quod est participium Aoristi II medii verbi αποτιθημι, non poterat quidem latine adæquate reddi : nec tamen per participium Præsentis temporis erat vertendum (1). Melius certe fecisset interpres, si, Ablativo absoluto usus, scripsisset : *Quare, deposita omni immunditia* etc. — Pro *immunditia* græce est ρυπαρια quæ alias in N. T. nullibi occurrit. Porro ρυπαρια (a ρυπος) proprie est *sordes, spurcitia corporibus adhærens :* sic infra cap. II. 2, adjectivum ρυπαρος de veste sordibus fœdata prædicatur. Jam vero existimaverim JACOBUM vocem illam *sensu ethico* de *peccatis quæ carnem commaculant* hic usurpasse. Quam sane interpretationem imprimis commendat ipsa natura rei de qua in præsenti loco agitur. Notum quippe est peccata carnis, eo ipso quod mentem obnubilant et hebetant, maximum ponere verbi divini susceptioni impedimentum.

Περισσειαν κακιας pro κακιαν περισσην poni putem : sic Rom. VI. 4, καινοτης ζωης est pro καινη ζωη et I Tim. VI. 17, πλουτου αδηλοτης pro πλουτος αδηλος : cujusmodi structura epitasi aliqua seu majori vi significationis non caret. Κακιαν in amplissima sua notione intellexerim de *omni animi improbitate* seu *malitia :* quam ideo Apostolus περισσην vocaverit, ut illam innumeris modis vim suam exerere significaret. Huic nostræ interpretationi concinit BEDA, qui Apostoli in hisce proferendis scopum optime perspexit. « Prius, ait, et corpus et mentem a vitiis jubet expurgare, ut digni existere possint, qui verbum salutis percipiant.... Omnem quippe immunditiam et carnis et animæ

(1) Hoc translationis vitium interpres noster non semel admisit : unde factum est ut nonnumquam sensus obscurior evaserit. Sic, ut exemplo manifesto utar, quod Hebr. I. 3 legitur : *καθαρισμον ποιησαμενος των αμαρτιων ημων, εκαθισεν...* obscure sane vertit : *purgationem peccatorum faciens, sedet...* cum sensus sit : *cum purgationem peccatorum fecisset, sedit.*

nuncupat. Malitia autem proprie ad interioris hominis pravitatem respicit.» Eamdem, quam statuimus, distinctionem PAULUS non obscure tradit in loco a nostro, ut videtur, baud adeo dissimili, scilicet 2 Cor. VII. 1, ubi ait : *Has ergo habentes promissiones charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, et spiritus.*

in mansuetudine suscipite insitum verbum, cet.) Πραΰτης (sic enim cum ABCG etc., legendum est), ut I Pet. III. 15, ubi interpres noster *modestiam* scite vertit, ita et h. l. *animi modestiam* significat, talem nempe quæ ab omni contumacia et repugnandi libidine aliena sit. — Εν hic dicitur de ea qualitate qua fidelis *instructus* esse debet, ut cum fructu suscipere valeat verbum evangelicum, quod procul dubio per τον εμφυτον λογον intelligendum est, quamvis de lumine naturali THEOPHYLACTUS (1) et OECUMOENIUS (2) ipsum interpretati fuerint. Etenim huic sententiæ obstant tum ipsa vox δεχεσθαι quæ proprie *accipere aliunde* notat; tum tota contexta oratio, maximeque effectus huic λογῳ adscriptus, utpote qui *animas salvare* posse dicatur. Ceterum vocabulum εμφυτον non tantum de eo quod a *natura inditum* est, sed et de eo quod *ab alio*, sive institutione, sive consuetudine, *quasi insertum est*, Græci usurparunt (3). PAULUS pariter de ecclesia quam CORINTHI *prædicatione* fundaverat, dicit εγω εφυτευσα (I Cor. III. 6.). — Itaque sensus est : *cum omni animi modestia suscipite doctrinam vobis traditam.*

quod potest salvare animas vestras.) Dicendo *quod potest* (τον δυναμενον), jam satis innuit evangelicæ doctrinæ susceptionem per se solam non salvare, sed ad hoc ut salutem præstet, aliud quid ipsi accedere debere. Illud autem, uti statim declarabit, in exacta eorum, quæcumque lex Evangelica servanda præcipit, obser-

(1) Εμφυτον λογον καλει τον καθ' ὃν λογικοι γεγοναμεν, διακριτικοι του βελτιονος και χειρονος. h. e. *Insitum verbum vocat illud per quod rationales facti sumus, discretores boni et mali.*

(2) Εμφυτον λογον καλει, το διακριτικον του βελτιονος και του χειρονος· καθ' ὃ και λογικοι εσμεν και λεγομεθα. h. e. *Insitum verbum vocat illud quod est discretor boni et mali, a quo rationales et sumus et dicimur.*

(3) Varia in hanc rem exempla collegit RAPHELIUS *Annotat. philolog. in N. T., ex Xenophonte, Polybio, Arriano et Herodoto collectæ,* tom II. pag. 739 seq. LUGD. BATAVORUM 1750.

vatione, et in sedula eorum, quæ quominus fiant ipsa prohibet, evitatione, situm est. — Per *salutem*, æternam felicitatem intelligendam esse vix dubitaverim. Cum enim ii, quos alloquitur JACOBUS, jam regenerati fuerant (*απεκυησεν ημας v.* 18.), de salute quæ in ipsa justificatione homini obtingit sermo esse nequit. Deinde, quum dicat *quod potest salvare*, salutem in futurum repositam se respicere haud obscure innuit.

ỳ. 22. *Estote autem factores verbi, et non auditores tantum* :) Explicat qualis debeat esse Evangelici verbi susceptio, ut salvifica sit. Simul vero primarium epistolæ suæ scopum, videlicet de operum necessitate inculcandâ, jam attingit. Mira autem est doctrinæ JACOBI concordantia cum iis, quæ tradit PAULUS ad Rom. II. 13 : *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* — Particula δὲ est hic *transeuntis* ad elucidandum id quod modo dictum fuerat : *suscipite insitum verbum.* — Ποιητης classicis scriptoribus est *effector* seu *conditor* alicujus rei. Verum ex hebraismo ποιητης λογου hic dicitur *de eo qui observat* quæcumque in Evangelio præscribuntur : sicut Rom. II. 13 ποιητης νομου, referens hebraicum עֹשֵׂה הַתּוֹרָה, *de observante legem* adhibetur. — Ακροατης, *auditor* : doctrina quippe Christiana viva voce ac Apostolicæ prædicationis ope fidelibus tradebatur.

fallentes vosmetipsos.) Refertur ad hanc partem : *et non auditores tantum ;* hoc nimirum sensu : *si auditores tantum verbi, et non simul factores fueritis, utique vosmetipsos deceperitis.* Ex hoc loco haud arbitrario concluseris, quod ceteroquin, AUGUSTINUM secuti, in prolegomenis jam monuimus, non defuisse tunc temporis qui, futilibus quibusdam ratiunculis innixi, persuadere sibi conarentur satis esse ad salutem si Evangelio fides præberetur, neglectis quantumvis operibus. — Παραλογιζεσθαι proprie est *præter rei veritatem supputare*, moxque speciosis rationibus imperitos circumvenire ac decipere.

ỳ. 23-24. *Quia si quis auditor est verbi, et non factor*, cet.) Eleganti comparatione usus, antegressæ sententiæ rationem reddit. Ratio autem hæc in eo sita est, quod *sicut* ille qui obiter tantum et inconsiderate vultus sui imaginem in speculo reflectit, nullam exinde

utilitatem reportare valet, utpote qui statim obliviscatur qualis sibi visus fuerit : *ita*, qui verbum evangelicum audire quidem satagit, audita vero opere complere ac perficere negligit, is nullum prorsus ex audito verbo salutarem effectum percipere potest. Nec ulterius urgenda videtur comparatio.

Ὅτι rationi reddendæ inservit. — Εἰ casum simpliciter ponit ut *v.* 5. — Pro *comparabitur* græce est ἐοικεν : quod interpres noster *v.* 6. rectius reddidit : *similis est.* — Verbum κατανοειν non tantum de *mentis consideratione* (quæ primaria ejus notio est), sed et de *oculorum perlustratione*, ab ipsis scriptoribus græcis usurpari, certis exemplis constat (1). — *Vultum nativitatis* (το προσωπον της γενεσεως), h. e. *vultum nativum* seu *naturalem*. Quid porro JACOBUS per illud της γενεσεως exprimere voluerit, interpretes sollicite inquirunt, variasque hac de re sententias proferunt. Verum, non possum quin fatear ipsorum expositiones me parum movisse : vel enim ad rem nihil prorsus faciunt; vel proprios auctorum sensus Apostoli verbis imponentes, verum ejus sensum nequaquam exponunt. Putaverim autem JACOBUM nil specialius per illud vocabulum significare voluisse, sed potius elegantiæ sermonis ac phraseos mensuræ studuisse. In omni fere comparatione talia occurrunt quæ nimis urgeri non possunt. Nec omittendum est interpretem Syrum vocem γενεσεως in translatione sua penitus neglexisse. — *In speculo* : specula inde a remotissimis temporibus etiam apud Hebræos in usu fuisse, vel ex Exodi XXXVIII. 8, constat. Erant autem veterum specula ex metallo polito confecta : ipsis tamen nec vitrea omnino defuisse, ex PLINIO (2) erui posse videtur.

ŷ. 24. *consideravit enim se, et abiit,* cet.) Similitudinem vers. præcedenti expressam, clarius et distinctius proponit, illius, quam cogitaverat, κατανοησεως naturam et effectum describendo. — Γαρ est *explicantis*, valetque *scilicet*, ut Matt. I. 18. — Aoristis qui hic occurrunt, non alia vis inest quam Temporis, ut dicunt, historici.

(1) Nonnulla ex XENOPHONTE, JOSEPHO et PHILONE, collegit KUINOËL ad Act. Apost. VII. 31.

(2) *Hist. natur.* lib. XXXVI. n. LXVI. Ed. LEMAIRE. « Et aliud (vitrum) flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur, Sidone quondam iis officinis nobili : siquidem etiam *specula* excogitaverat. »

Cf. *v.* 11. — Quamvis κατανοειν per se *attentam perlustrationem* significet, attamen contexta oratio, ac maxime antithetica vox παρακυψας, verbum illud de levi quadam inspectione in præsenti loco esse sumendum satis monent.

℣. 25. *Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis,* cet.) Missa jam similitudine, servata tamen verborum translatione (παρακυψας, παραμεινας), opponit (δε) *auditori otioso auditorem operosum, et inani speculatori verbi, eum qui legem Christi introspicit cum affectu bonæ operationis* (Estius). — Παρακυπτειν (scl. εαυτον) εις τι, proprie est *se incurvare* ad aliquid diligentius introspiciendum (Luc. XXIV. 12. Joh. XX. 5) : *metaphorice* vero, rem aliquam *penitius considerare*, seu sedulo *in eam inquirere* : quæ ultima notio hic obtinet, ut I Pet. I. 12. — Παραμεινας opponitur præcedenti απεληλυθε. Cernitur autem hic species quædam *Zeugmatis*, quo nempe factum est, ut Verbi παραμεινας objectum per præpositionem εις, quæ ipsi minime convenit, inductum fuerit, eo quod παρακυψας cum εις construendum erat. Similis Brachyologia Act. I. 21 occurrit, ubi legitur εισηλθε και εξηλθε εφ' ημας pro εισηλθε εφ' ημας και εξηλθε αφ' ημων.

Νομος in N. T. modo Pentateuchum solum (Act. XIII. 15), modo, et quidem frequentius, totum fœdus antiquum designat. Hic vero legem novam in Evangelio promulgatam per νομον intelligendam esse demonstrant tum contexta oratio (cf. *v.* 21), tum epitheton τελειος : de lege enim Mosaïca scriptum est (Heb. VII. 19.) : *nihil ad perfectum adduxit* (ετελειωσε) *lex*, et (X. 1), *nunquam potest accedentes perfectos facere* (τελειωσαι). « Lex autem nova est lex perfectionis, quia est lex charitatis, de qua Apostolus dicit (Col. III. 14) quod est *vinculum perfectionis.*» S. Thomas *Sum.* 1. 2. *q.* 107. *a.* 1. *in corp.*; et quia « non est exspectandum quod sit aliquis status futurus, in quo perfectius gratia Spiritus S. habeatur. » Ib. *q.* 104. *a.* 4. *in corp.* — Legem hanc Jacobus insuper vocat τον της ελευθεριας, i. e. *legem libertatis*, iterum per oppositionem ad legem Mosaïcam quam Paulus (Gal. V. 1) *jugum servitutis* appellat, et Petrus (Act. XV. 10) *jugum quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus*. In quo porro sita sit illa libertas in quam Christus nos vocavit, docte ac nervose,

pro more suo, adversus sectarios exponit STAPLETONIUS (1) : cujus verba recitare operæ pretium duximus. « Liberatio ista sive libertas per CHRISTUM nobis data, erat triplex; prout servitus qua partim Judæi, partim ceteri mortales omnes tenebantur, triplex erat. *Una* erat servitus legalis Judæis propria, qui in statu servorum sub legalibus ceremoniis et timore servili vivebant, tamquam veteris Testamenti filii, magis ex timore quam ex amore legem servantes, ideoque non vere eam servantes, quamquam hoc posterius nec solis Judæis proprium erat, sed omnibus veteris Testamenti filiis, et juxta veterem hominem adhuc viventibus; nec in omnibus Judæis locum habebat, sed carnalibus tantum. Hanc utramque PAULUS docuit ad Galat. IV, et ad Rom. VIII. *Altera* servitus peccati est, qua homo suis cupiditatibus et instigatori dæmoni servit : Rom. VI. *Servi fuistis peccati. Tertia* servitus corruptionis pœnalis est, cui corpora etiam justorum in hac vita subjiciuntur : Rom. VIII, *Creatura liberabitur a servitute corruptionis*, cet. Ab his tribus CHRISTUS omnes in ipsum credentes liberavit. A *prima* ponens nos in statu filiorum adoptionis, quoad legalia : ad Gal. IV, *Non sumus ancillæ filii, sed liberæ;* quoad servilem timorem; ad Rom. VIII, *Accepimus spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba Pater.* A *secunda*, partim per remissionem peccatorum gratuitam, partim per gratiæ suæ auxilia et dona, sive per spiritum regenerationis : Rom. VI, *Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ. Peccatum vobis non dominabitur, quia non estis sub lege, sed sub gratia;* Rom. V, *Ut sicut peccatum regnavit per mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam.....* A *tertia :* Rom. VIII, *liberabitur a servitute corruptionis*, scilicet in altera vita. » Hæc STAPLETONIUS.

non auditor obliviosus factus, sed factor operis.) Appositio est ad antecedentem sententiam, qua nempe Apostolus significantius declarat quid per *παρακυψας* et *παραμεινας* indicare voluerit. — Hebraismus est in *ακροατης επιλησμονης*, *auditor oblivionis* (i. e. *obliviosus*), ut in illo LUCÆ XVI. 8, *οικονομος της αδικιας*, *dispensator iniquitatis* (*iniquus*).

(1) *Antidota Evangelica* in Joh. cap. VIII. v. 36. Opp. tom. III. pag. 238 seq. Ed. Parisiensis 1620.

hic beatus in facto suo erit.) Εν τῃ ποιησει αυτου Wahlio (*Clavis N. T.*) ex hebraica dicendi ratione valet εν τῳ ποιειν αυτον κατα τον νομον της ελευθεριας, i. e. *eo quod obsequitur* τῳ νομῳ *et factis eum exprimit.* In hac autem locutione præpositio εν dicta est veluti *de fundamento*, quo *quid nititur*, ac proinde notionem habet *causæ ob quam* quid est aut fit : ut Act. VII. 29. — Beatus porro ille erit, quippe qui *salvabit animam suam* (*v.* 21).

℣. 26-27. Si quis autem [a] putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.
27 Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.

℣. 26-27. Εἴ τις δοκεῖ θρῆσκος ἐν ὑμῖν [b] εἶναι, μὴ χαλιναγωγῶν γλῶσσαν αὐτοῦ ἀλλὰ ἀπατῶν καρδίαν αὐτοῦ, τούτου μάταιος ἡ θρησκεία.
27 Θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος παρὰ Θεῷ καὶ πατρὶ, αὕτη ἐστίν· ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανοὺς καὶ χήρας ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν, ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου.

Paraphrasis. *Itaque, si quis putat se verum Dei cultorem esse, quamquam linguam suam non refrenet sed cor suum decipiat, sciat religionem suam omni effectu carituram. Religio sincera ac perfecta coram Deo et Patre, in hoc sita est : ut pupillis et viduis in tribulationibus eorum prospicias, et a contagione mundi teipsum incontaminatum serves.*

VARIANS LECTIO.

a) Particula *autem* quæ in Vulgata hic occurrit, a textu græco prorsus abest.
b) Voces ἐν ὑμῖν desunt in ABC, et in antiquis fere omnibus versionibus.

℣. 26-27. Propositionem quam inde a vers. 22 Apostolus evolverat, videlicet : *estote factores verbi et non auditores tantum*, duplici hic exemplo illustrat; quorum prius religionem illius qui ab iis non abhorret, quæ in Evangelio prohibentur, respicit ac omni fructu cariturum declarat; posterius vero illam professionem salvificam fore docet, quam caritatis opera et puritas vitæ, in Evangelio præscripta, comitata fuerint. Nec inconsulto exempla sua protulit, sed ex intentione eas materias selegit, quas in decursu epistolæ potissimum tractaturus erat.

Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, cet.) Ει τις δοκει, *si quis sibi videtur*. Græci sermonis usu pronomen reciprocum nonnunquam subauditur.—Participia χαλιναγωγων et απατων in verba finita per conjunctionem *quamquam* (ut Rom. I. 32) solvenda esse, contexta oratio aperte docet. Sensus igitur est : *si quis putat se verum Dei cultorem esse, quamquam linguam suam non refrenet, sed cor suum decipiat....* Χαλιναγωγειν proprie dicitur de equis, quibus frenum in ora mittimus, ad eorum impetum coërcendum. Qua metaphora, classicis etiam scriptoribus usitata, quam difficile sit homini linguam coërcere ac prudenter moderari, proculdubio Jacobus innuere voluerit. — Απατων καρδιαν αυτου non est quid diversum a παραλογιζομενος εαυτον (*v.* 22) : ponit siquidem Jacobus virum quemdam ex Evangelica prædicatione optime perspexisse ab omnibus peccatis linguæ, a mendaciis videlicet, detractionibus, calumniis, stultiloquiis, etc., abstinendum sibi prorsus esse : et nihilominus, falsis ac fucatis ratiunculis semetipsum decipientem, et divina mandata quæ didicit, opere non adimplentem : cujus ideo cultum vanum pronuntiat. — Vox θρησκεια proprie *de cultu religioso* dicitur. Suidas : θρησκεια· η λατρεια. — Ματαιον hic intelligo, ut I Cor. XV. 17, coll. *v.* 14, id quod *frustra fit* et utilitate caret.

℣. 27. *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem*, cet.) Jam, altero exemplo usus, ostendit qualis cultus *sincerus* (καθαρα ut 2 Tim. II. 22) sit ac *perfectus* (αμιαντος ut I Pet. I. 4) *judicio Dei* (παρα Θεῳ), *Patris nostri*. — Παρα hoc metaphorico sensu legitur etiam Act. XXVI. 8; Rom. XII. 16 etc. Et quidem, quod

penes cujuspiam *judicium* est, spirituali quodam modo *apud* ipsum exsistit. — Επισκεπτεσθαι (1), ut et hebraicum פָּקַד, de tali visitatione sæpe usurpatur quæ consistat in *conferendo insigni aliquo beneficio* (Gen. XXI. 1; Luc. I. 68), aut in *prospiciendo ac succurrendo* iis qui in tribulatione positi sunt (Jer. XXIII. 2; Matt. XXV. 36). Quam ultimam notionem in præsenti loco obtinet. PHAVORINUS : *επισκεπτομαι· το προμηθευομαι και κηδομαι τινος.* h. e. *prospicio alicui et curam ejus gero.* — *Pupillum et viduam* : nil fere in V. T. frequentius inculcatur quam justitia ac misericordia erga pupillos et viduas : quibus etiam sæpe conjunguntur advenæ seu peregrini. Et hoc præceptum JACOBUM præ oculis habuisse, non dubitaverim. Putem tamen cum Ven. BEDA ad h. l. « in eo quod pupillos et viduas in tribulatione eorum visitare jussit, cuncta quæ erga proximum misericorditer agere debemus, insinuare. »

et immaculatum se custodire ab hoc sæculo.) In græco hæc sententia *asyndetice* præcedenti jungitur, quod, uti jam monuimus, orationem vividiorem facit. Officiis erga proximum adimplendis, officia a vero Dei cultore erga semetipsum servanda, Apostolus præclare conjunxit. Universa autem in hoc præcepto comprehendit : *sese incontaminatum a mundo servare.* Quid porro per *mundum* (κοσμον) intelligendum sit, habemus ex I Joh. II. 16 : *omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.*

(1) Verbi *σκεπτομαι* formæ Præsentis et Imperfecti apud scriptores Atticos raro occurrunt; erat his ad illa Tempora exprimenda usitatum verbum *σκοπῶ* vel *σκοποῦμαι*. *Gramm. Græc.* pag. 74.



EXCURSUS.

DE TENTATIONIBUS.

Quoniam de tentationibus plurima in præsenti capite Jacobus disseruerit, atque de ipsis in S. Litteris sæpissime sermo instituatur, eæque modo Deo auctori referantur, modo vero, ut Jac. I. 13, ab ipso prorsus ablegentur; ideo scripturisticam de tentationibus doctrinam in speciali excursu contrahere ac proponere, operam haud inutilem fore duximus.

1. Porro « tentare, ait S. Thomas, *Sum. Theol. p. I. q. 114. a. 2*, est proprie experimentum sumere de aliquo. Experimentum sumitur de aliquo, ut sciatur aliquid circa ipsum, et ideo proximus finis cujuslibet tentantis est scientia. Sed quandoque ulterius ex scientia quæritur aliquis alius finis, vel bonus, vel malus. Bonus quidem, sicut cum aliquis vult scire qualis aliquis sit, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad virtutem, ut cum promoveat : malus autem, quando hoc scire vult, ut eum decipiat vel subvertat. » Hinc Theologi Augustinum (1) secuti, duplex tentationum genus admittunt, *probationis* unum, *seductionis* alterum : quæ distinctio præ oculis maxime habenda est, si ea quæ de tentationibus Scriptura tradit rite interpretari velimus.

2. Jamvero ad tentationem *probationis* pertinent variæ illæ afflictationes, necnon particularia ac extraordinaria prorsus mandata

(1) De consensu Evangeliorum. l. II. cap. XXX. n. 71. Opp. tom. III. p. II. pag. 63.

(v. g. Gen. XXII. 2), quibus Deus nonnumquam utitur ad fideles suos probandos, eorumque virtutem ac constantiam explorandam. Quod tamen recto sensu intelligamus oportet. Audiamus ergo AUGUSTINUM hac de re disserentem : « Sic ergo, ait (1), ignarus est Deus rerum, sic nescius cordis humani, ut tentando hominem inveniat? Absit, sed ut ipse homo sese inveniat... Ergo noverit charitas vestra, tentatione Deum non id agere, ut ipse aliquid cognoscat quod ante nesciebat; sed ut, ipso tentante, id est interrogante, quod est in homine occultum prodatur. Non enim sibi homo ita notus est, ut Creatori; nec sic æger sibi notus est, ut medico. Ægrotat homo; ipse patitur, medicus non patitur; et ab illo qui non patitur, exspectat audire qui patitur. Ideo in Psalmo clamat homo : *ab occultis meis munda me, Domine*. Quia sunt in homine occulta ipsi homini in quo sunt; et non procedunt, neque aperiuntur, neque inveniuntur, nisi in tentationibus. Si Deus cessat tentare, magister cessat docere... Quid ergo dicimus, fratres? Etsi sciebat se Abraham, nos non noveramus Abraham. Aut sibi, aut certe nobis prodendus erat : sibi, ut sciret unde gratias ageret; nobis, ut sciremus vel quid a Domino deprecaremur, vel quid in homine imitaremur. » Hactenus AUGUSTINUS.

3. Hujusmodi porro tentatio optima in se est, ac multorum meritorum fons et radix. Unde JACOBUS fideles alloquitur (I. 2) : *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis*. Non est igitur cur miremur tentationes illas in S. Litteris Deo auctori tribui. Et quidem hominem nonnumquam ipse tentat, quod ABRAHÆ contigit (Gen. XXII. 2); sæpius tamen perversorum hominum malitia ad hoc utitur, ut sic ex ipso malo bonum eliciat. Quod AUGUSTINUS nos iterum admonet, scribens (2) : « Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur : aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur. »

(1) Serm. II *de tentatione Abrahæ a Deo*, n. 2, seqq. Opp. tom. V. pag. 6 seq.
(2) *Enarrat. in Ps. LIV. n.* 4. Opp. tom. IV. pag. 501 sq.

Immo munus illud Diabolo, ad nocendum homini semper parato, quandoque permittit Deus, ut ex libro Job abunde constat : ex quo tamen non minus luculenter patet Diabolum ultra limites a Deo sibi præfixos numquam progredi posse. Cf. cap. I. 12 ; II. 6. — Matt. X. 29. 30. — Luc. XXI. 18.

4. Per tentationem *seductionis*, de qua potissimum sermo nobis habendus est, sollicitatio ad peccatum proprie intelligitur. Hanc præ oculis habebat Jacobus dum scriberet (I. 13) : *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur : Deus enim intentator malorum est : ipse autem neminem tentat.* Cujus ratio perspicua est. Nam « malum culpæ, ut ait S. Th. *p. I. q.* 48. *a.* 6, opponitur proprie bono increato. Contrariatur enim impletioni divinæ voluntatis, et divino amori, quo bonum divinum in seipso amatur, et non solum secundum quod participatur a creatura. » Si igitur hominem Deus tentaret, ipsum incitando ad malum culpæ, eo ipso bonitatem suam, quam ex necessitate vult esse, jam esse nollet : quod implicat. Ad hoc autem si mente sincera attendissent Pseudo-reformatores, Deum peccatorum nostrorum auctorem et causam activam atque operatricem esse numquam docuissent (1) : quam tamen impiam et blasphemam doctrinam Calvinus maxime, quavis data occasione, lectori obtrudit.

5. Nec putandum est Jacobi doctrinæ adversari et novatorum placitis favere ea Scripturarum loca in quibus dicitur Deus *indurare cor hominis* (Exod. IX. 12; Rom. IX. 18.), et *excæcare oculos ejus* (Joh. XII. 40); item *tradere hominem in desideria cordis sui* (Rom. I. 24), aut *tradere ipsum servire militiæ cœli* (Act. VII. 42). Quamvis enim hæc et similia plusquam nudam ac meram quamdam *permissionem* peccati importent, causam tamen *positivam* seu *directam* nequaquam involvunt. Sed et divina attributa salva manent, et vis verborum sacrorum non perimitur, si ipsa intellexeris de causa *negativa* et

(1) Cf. Moehler *Symbolique*, tom. I. liv. I. §. 4.

indirecta tantum : quatenus nempe Deus, justissimo consilio, homini peccatori *gratias efficaces* aut etiam *proxime sufficientes* (1) ad peccatum vitandum nonnumquam *subtrahat*, immo et protectionem externam quæ pericula removeat ac provocantia ad peccatum comprimat. Sed præstat de ardua quæstione D. THOMAM disserentem audire. « Deus non *directe*, inquit S. Doctor (*in Ep. ad Rom. Cap. I.* 24), sed *indirecte* tamen *tradit* homines in peccatum, in quantum juste subtrahit gratiam, per quam homines continebantur ne peccarent; sicut si aliquis alicujus substentaculum tolleret, diceretur facere casum ejus. Et per hunc modum, primum peccatum est causa sequentis peccati; sequens vero est pœna prioris. » Eamdem doctrinam uberius ac disertius tradit *Sum.* 1. 2. *q.* 79. *art.* 3. « Dicendum, inquit, quod excæcatio et obduratio duo important. Quorum unum est motus animi humani inhærentis malo et aversi a divino lumine; et quantum ad hoc Deus non est causa excæcationis, sicut non est causa peccati; aliud autem est substractio gratiæ, ex qua sequitur, quod mens divinitus non illuminetur ad recte videndum, et cor hominis non emolliatur ad recte vivendum, et quantum ad hoc Deus est causa excæcationis et obdurationis. Est autem considerandum, quod Deus est causa universalis illuminationis animarum, sicut sol est universalis causa illuminationis corporum; aliter tamen et aliter. Nam sol agit illuminando *per necessitatem naturæ;* Deus autem agit voluntate per ordinem suæ sapientiæ. Sol autem, licet quantum est

(1) Peccatoribus tamen, etiam obduratis et excæcatis, gratias *vere sufficientes* conferri pro loco, et tempore, quibus a peccatis resipiscere possint, late probat KNOLL, *Instit. Theol.* part. IV. sect. I. cap. IV. art. II. §. 446. — tom. IV. pagg. 381 seqq. Taurini 1855. — Idem Ecclesiæ sensu confirmat cl. PERRONE, *de grat.* part. I. cap. V. prop. 3. n. 409 : « Receptum est in Ecclesia, ait, ut quoties casus contingat, ut aliquis ex ejusmodi perditis hominibus, et effusis in omne vitium, imo et in incredulitatem, graviter decumbat, toties accurrant ejus ministri, ut eum hortentur ad resipiscentiam salutarem, ac fideles pro eo preces ad Deum fundant. Ergo pro certo habet Ecclesia, neminem, quamdiu in vivis est, omni prorsus gratia destitui : alioquin ridicula et absurda esset ejusmodi sollicitudo. »

de se, omnia corpora illuminet; si quod tamen impedimentum inveniat in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum, sicut patet de domo, cujus fenestræ sint clausæ : sed tamen illius obscurationis nullo modo causa est sol; non enim *suo judicio agit* ut lumen interius non immittat, sed causa ejus est solum ille qui claudit fenestram. Deus autem *proprio judicio* lumen gratiæ non immittit illis in quibus obstaculum invenit; unde causa substractionis gratiæ est non solum ille qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam Deus, qui suo judicio gratiam non apponit. Et per hunc modum Deus est causa *excæcationis* et *aggravationis aurium*, et *obdurationis cordis;* quæ quidem distinguuntur secundum effectus gratiæ, quæ et perficit intellectum dono sapientiæ, et affectum emollit igne charitatis. Et quia ad cognitionem intellectus maxime deserviunt duo sensus, scilicet visus et auditus, quorum unus deservit intentioni, scilicet visus, alius disciplinæ, scilicet auditus : ideo quantum ad visum ponitur excæcatio, quantum ad auditum aurium aggravatio, quantum ad affectum obduratio. » Hæc S. THOMAS cui præiverat AUGUSTINUS scribens (1) : « sic excæcat, sic obdurat Deus, deserendo et non adjuvando; quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. » Itaque dum singulis diebus Deum oramus : *et ne nos inducas in tentationem*, hoc petimus « ne agat nobiscum Deus sua pro severa justitia, ut ne destituti adjutorio ejus, eumque nobis patientes iratum, alicui tentationi, *vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti*. AUGUST. *epist.* 121. (nunc 130) cap. XI. » (LUC. BRUG. in Matt. VI. 13).

6. Porro tentatio *seductionis* quæ Deum auctorem habere non potest, utpote cujus sanctitati directe adversatur, e triplici fonte ortum ducit. *Mundus* scilicet, et *caro*, et *diabolus* hominem ad peccatum sollicitare non desinunt, adeo ut verissime, divino afflante Spiritu, vir sanctus JOB protulerit : *militia est vita hominis super terram* (Cap. VII. 1).

(1) *In Joh. cap. XII. tract. LIII. n.* 6. Opp. tom. III. pag. 646.

Et *mundus* quidem, i. e. homines perversi ac rebus mundanis dediti, quos Apostolus 2 *Tim. III.* 1-10 partim describit atque vitandos jubet, modo suadendo et blandiendo, modo pravis suis exemplis incitando, nonnumquam etiam cogendo ac terrendo, eos qui pie volunt vivere in CHRISTO, ad peccatum perducere perpetuo conantur. Quod Psalmista sæpius testatur : *funes peccatorum circumplexi sunt* (Ps. CXVIII. 61), et *narraverunt mihi iniqui fabulationes* (ib. *v.* 85), et *posuerunt peccatores laqueum mihi* (*v.* 110), cet.

7. Radix altera tentationum uberrima *caro* est, sive *concupiscentia innata, habitualis*, seu, quod idem est, *lapsæ humanæ naturæ vitiositas illa* quæ ex peccato est, et ad peccatum inclinat, et quæ ab unoquoque homino nascendo contrahitur. Hæc est de qua Apostolus ad Gal. V. 17 scribit : *caro concupiscit adversus spiritum*, et JACOBUS I. 14 : *unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus.* Ipsa tamen *quum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, et viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet : quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur* (1).

8. Tertius demum tentationum auctor *Diabolus* est, qui ideo ab Apostolo (1 Thess. III. 5) *Tentator* (ὁ πειράζων) simpliciter vocatur. Hanc porro veritatem, quam et S. Litteræ (2) et SS. Patres (3) unanimi consensu tradidere, post Sadducæos et Anabaptistas, aggressi sunt quotquot recentioribus hisce temporibus Rationalistarum nomine gloriantur. Quorum gravamina hac de re excipiens WEGSCHEIDER, ita scribit (*Institt. Theol.* §. 106) : « Fatendum est, ait, singula dæmonologiæ biblico-ecclesiasticæ placita, ea præsertim, quæ ad effectus dæmonum spectant, ita esse comparata, ut neque cum vera philosophia

(1) Conc. Trid. sess. V. *decret. de pecc. orig.* n. 5.

(2) Cfr. Gen. cap. III. — 1 Paralip. XXI. 1. — Matt. IV. 1-11. — Luc. XXII. 31. — Joh. XIII. 2. — Act. V. 3. — 2 Cor. IV. 4. — Ephes. VI. 11, 12. — Jac. IV. 7. — 1 Petr. V. 8.

(3) Eorum testimonia vid. ap. KNOLL, part. II. sect. I. cap. III. art. VII. §. 179. n. 3. — tom. II. pag. 208 sqq.

ullo modo conciliari possint (ipsa enim spiritus idea natura sua maligni atque æternum infelicis sibi non constat), neque cum aliis quibusdam Scripturæ S. præceptis quæ numinis divini naturam optime declarant. Accedit, quod *Dualismus*, rudiori cuique populo, alii sub alia specie, probatus, istique doctrinæ suppositus, omnem religionem puriorem tollit.... » Hæc ille.

9. Cum tamen nondum ausi fuerint plerique Germaniæ Rationalistæ, utpote verbi divini prædicatores aut Theologiæ in scholis publicis professores, S. Scripturas aperta fronte impugnare ac rejicere, nulli pepercerunt labori ut ea, quæ in libris sacris traduntur, cum commentis suis specietenus saltem conciliarent. Ad hoc autem multiplicem, quod erroris proprium est, viam inierunt.

10. Alii siquidem ad interpretationem *naturalizantem*, quæ Paulum Heidelbergensem patronum præcipuum habuit, confugientes, docuerunt duo in quacumque historia evangelica probe esse distinguenda : *factum* scilicet, et *judicium* quod de facto latum est ab iis qui vel illud experti sunt, vel illi interfuere, aut illud scriptis tradidere. Hæc quippe duo, aiunt, quantumvis a se invicem diversa, facili tamen ratione confunduntur, et reapse a Scriptoribus historicis N. T. continuo permixta fuere. Sapientis igitur interpretis est hæc duo sedulo secernere; *facta* nempe, prout communiter contingunt, intelligendo; *causas* vero *supernaturales* quibus referuntur, et *circumstantias extraordinarias* quibus adornantur, *erroneo ac superstitioso judicio* tribuendo. — Quid in hoc arbitrario systemate de divina inspiratione supersit, nemo non videt. Immo, admisso semel hujusmodi principio, omnis historica veritas pereat necesse est.

11. Itaque alii Semlerum, systematis *accommodationis* propagatorem, secuti, statuunt duplicis generis sententias in libris N. T. esse agnoscendas. Aliæ enim sunt *universales* ac *immutabiles*, a quibus proinde viro Christiano numquam recedere licet. Aliæ vero *locales* sunt, et pro

locorum ac temporum varietate diversæ. JESUS nimirum ne Judæorum animos offenderet, eosque a doctrina sua averteret, rudiores ipsorum opiniones statim impugnare noluit, sed plurima doctrinæ suæ capita ad judaicos errores *accommodavit;* imo multa illis convenientia, quæ tamen in erratis esse optime noverat, tradidit. Ad illas porro sententias mere *locales* reducit SEMLERUS quæcumque in N. T. præter Religionem naturalem occurrunt : ac proinde dæmonum impugnationem.

12. Huic systemati, cujus imbecillitatem et falsitatem facili negotio demonstraverat, supposuit STRAUSS *Mythismum* quem, mira cum impietate, maxime in libro *de vita Jesu*, systematice exposuit et evolvit. Fingit itaque ille, contra disertissima totius antiquitatis testimonia, Evangelia non ab immediatis JESU discipulis conscripta fuisse, sed serius tantum, cum nempe per tempus traditioni jam licuisset facta JESU amplificare ac circumstantiis extraordinariis adornare. Omnia igitur quæ in Evangeliis narrantur, pro *mythis* habenda decernit. Jam vero sub nomine *mythi*, quem accuratius definire non curat, tria complecti videtur. *Mythos* namque vocat illa facta sub quorum involucro, ut opinatur, primi Christiani notiones æternas ac metaphysicas, quibus solis constat et perficitur religio, quæque a veritate historica minime pendent, tradiderint. *Mythis* deinde annumerat narrationes illas vividiores, quas ex falsa opinione vulgi ortum duxisse contendit. Cum enim invaluisset sententia quod JESUS esset Messias ille quem Judæi ex vaticiniis suis sibi fingebant, tunc de ipso prædicare cœperunt quæcumque in Veteri Testamento pro vaticiniis de Messia futuro habebantur. Præter duplex istud *mythorum* genus, agnoscendæ sunt variæ *scriptorum additiones* prorsus singulares, eumque in finem narrationibus insertæ, ut res melius colligentur vel illustrentur. — Quibus principiis semel admissis, fidenter utique scripturarum interpretationem suscipere potest Rationalista, quin supernaturale quid in ipsis offendere timeat.

En vero quo scepticismi, inscitiæ ac impietatis, viros, felici alio-

quin ingenio præditos, adduxit famosus ille pseudo-reformationis canon, quo scripturarum interpretatio privato cujusque judicio permittenda statuitur (1)!

13. Sed ne aliquibus adversarios nostros calumniari videamur, ipsorum systemata, justo latius, teterrimis coloribus depingendo, ideo rationalisticæ interpretationis specimen hic exhibere volumus. Sic enim cuique manifestum erit quomodo prædicta principia intellexerint Rationalistæ, illaque in praxim deduxerint. Scligimus porro ea quæ scripserunt de tentatione illa quam a dæmone CHRISTUM ipsum in deserto expertum fuisse Evangelistæ testantur (Matt. IV. 1-11; Marc. I. 12, 13; Luc. IV. 1-13.).

« Equidem non dubito, scribit ROSENMÜLLER (*Scholia in N. T.;* ad Matt. IV. 1), nostro etiam loco intelligendum esse (diabolum) hominem improbum, callidum, qui amicitiam simulans, impellere ad facinus aliquod indignum, vel etiam prorsus deterrere a proposito conaretur JESUM...... quis is fuerit, id plane ignoramus, et ipse JESUS ignorare videtur. » Attamen *ad v.* 3, « suspicatur hunc fuisse quemdam ex primoribus Judæorum, insignem JESU adversarium, cum eo congressurum, eumque coram synhedrio rebellionis accusaturum. » Cum vero triplicis tentationis ridendam prorsus interpretationem proposuerit, ad *v.* 11 ubi dicuntur Angeli accessisse et CHRISTO ministrasse, hæc scribit : « Innuitur ergo hoc loco, ut mihi quidem videtur, CHRISTUM ab eo tempore luculentissima providentiæ, tutelæ et benevolentiæ divinæ documenta expertum esse ! »

« Alii, ap. KUINOEL (*Comment. in lib. hist. N. T.;* ad Matt. IV.), ea quæ h. l. narrantur, de ἐκστάσει (*exstasi*) explicanda esse statuerunt, cum interdum accidere soleat, ut animi, repentino quodam furore concitati, exardescant acrius, atque a corpore abstracti, ante oculos versari cernant spirituum species, quarum vultus et lineamenta agnos-

(1) Qui plura de hisce systematibus desiderat, perutilem adeat Ex. D. LAFORET *dissert. de methodo theologiæ*, part. I. sect. II. cap. IV et V. — Lovanii 1849.

cant, ac loquentium voces auribus percipiant : vel de *viso nocturno.* »

« Alii (*ibid.*) contenderunt, omnia esse explicanda de pravis cogitationibus in animo JESU (!) subortis, ab eo vero etiam statim repressis, cum in deserto, ut se ad munus obeundum præpararet, commoraretur, atque ibi perpenderet difficultates et molestias, quibuscum ipsi in posterum confligandum esset, et reputaret viam ac rationem, qua sibi apud Judæos auctoritatem conciliare facile posset, parum convenientem fore consiliis suis, munerisque officiis et partibus. JESUM igitur cogitationes pravas illo tempore animo volutas, more Judæorum Satanæ tamquam auctori adscripsisse, remque ita proposuisse, ac si genius malus ipsi præsens apparuisset, ut sub parabolæ involucro discipulos edoceret, quomodo ipsi futuri religionis doctores animati esse deberent, eosque excitaret ad modestiam, constantiam, fiduciam in Deo collocandam. »

Alii demum (*ibid.*) « opinati sunt continere hunc locum *mythum*, eumdemque vel *historicum*, ita ut traditioni res in facto posita subsit, vel *philosophicum*. Scilicet fabulam inventam esse *vel* ab iis qui sibi explicare vellent, qui factum sit, ut JESUS per quadraginta dies in deserto commoraretur, antequam doctoris partes susciperet... (*mythus historicus*); *vel* ab iis qui in libris sacris reperissent MOSEN et ELIAM quadraginta dies jejunasse.... et inde conclusissent etiam JESUM, prophetam ELIA longe majorem per quadraginta dies in deserto quodam jejunasse (*mythus philosophicus*). » Hæc, opinor, aperta sunt : et ex fructibus facile dignoscitur arbor.

14. Ad has porro ineptias devenerunt viri illi, quia dogma catholicum de impugnatione dæmonum neque cum recta ratione, neque cum recta Dei notione consistere posse arbitrantur. Verum, dum talia asserunt, se id quod blasphemant penitus ignorare ostendunt. Doctrinam enim catholicam cum *dualismo* Persarum perperam confundunt : quod ceteroquin ex verbis WEGSCHEIDER modo citatis manifestum est. Quantum vero ab hoc monstro doctrinæ distet dogma nostrum, vel

rudissimi inter catholicos perspectum habent. Et re quidem vera, dogma catholicum, si rite exponatur, prout nempe ex Revelationis fontibus hauritur, non tantum cum vera Dei notione non pugnat, sed econtra divinas perfectiones patefacit atque commendat.

Et primo quidem, neque cum ratione neque cum Dei notione pugnat quod Deus omnipotens substantias incorporeas et pure intellectuales creaverit: immo hoc fieri oportuisse præclare docet S. THOMAS, p. 1. q. 50. art. 1. Creaturæ illæ potuerunt, salvis omnibus Dei attributis, in *statu viæ* creari, ita ut, non secus ac homo, æternam felicitatem recto libertatis suæ usu sibi promererentur. Cum autem ex ipsa libertatis creatæ natura sequatur possibilitas peccati, ut ex S. BONAVENTURA solide probat P. VAN LOO (1), facillime concipimus creaturas illas, liberi arbitrii abusu, in peccatum lapsas, nec a Deo, justissimis de causis, reparatas fuisse. Quo posito, intelligimus spiritus illos, æternis suppliciis addictos, pro suo erga Deum odio, homini, quem ad imaginem suam Deus condidit et ad æternam gloriam destinavit, maxime invidere, eumque in interitum secum, si fieri possit, perduci desiderare. Jam vero non implicat quod creaturæ illæ, pro viribus perfectiori suæ naturæ inditis, nec per peccatum amissis, possint, *Deo permittente*, corpora movere, cum et anima humana corpus sibi unitum movere valeat; quodque proinde imaginationem et sensum hominis, spiritus et humores commovendo, immutare queant, voluntate tamen ejus sui juris semper manente (S. TH. p. I. q. 111. art. 2, 3 et 4). Immo nec implicat quod creaturæ illæ corpus, ex aere virtute divina condensato, sibi quandoque assumant et sic sub specie visibili hominibus appareant eosque alloquantur, sonos vocibus humanis similes in aere formando (S. TH. p. I. q. 51. art. 2 et 3).

His vero positis, dico: non tantum rationi ac divinis attributis non repugnat, sed et congruum est Deum permittere hominem a dæmone impugnari. Cujus assertionis sequentes rationes assignari possunt.

(1) *De justa ac sapienti permissione mali*, pag. 39 sqq. — Lovanii 1856.

Prima ex S. BONAVENTURA (1) desumitur : « Sic Deus res omnes administrat, ait, ut eas agere proprios motus sinat; et ideo tam hominem quam diabolum constituit in libertate arbitrii, et in manu consilii sui reliquit, et utrumque permisit agere quod voluit, sive hunc in tentando, sive illum in consentiendo : hoc enim competebat regimini in conservatione ordinis, qui attenditur ex comparatione virtutis ad proprium actum. »

Secunda ratio est S. AUGUSTINI (*De Gen. ad litt., lib. XI, cap. IV*) : « Non mihi videtur, inquit, magnæ laudis futurum fuisse hominem, si propterea posset bene vivere, quia nemo male vivere suaderet; cum in natura posse, et in potestate haberet velle non consentire suadenti, adjuvante tamen illo, qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* »

Tertia iterum a S. BONAVENTURA (l. c.) affertur : « Quia nemo dignus est coronari, nisi qui certat legitime, ideo decuit Deum hominem militem suum in campo certaminis prius examinare quam ipsum in gloria exaltare; et quia examinatio consistit in conflictu et pugna, permittere debuit hominem a diabolo impugnari. »

Quarta demum hæc est : congruum est Deum id permittere, quod ad divinorum attributorum manifestationem potissimum conducit. Atqui impugnatio dæmonum, imo et mala ex ipsa sequi solita, hanc manifestationem maxime promovent. Ergo congruum est Deum illa permittere.

Minorem hujus argumentationis sequenti modo probat D. BONAVENTURA (2) : « Quatruplex potest ratio assignari, quare Deus fecit talem hominem, ut possit ab adversario expugnari. Et prima est manifestatio divinæ *potentiæ*. Voluit enim Deus ostendere homini, quia sicut

(1) *In lib. II sent.* dist. 23, art. 1, q. 2. — Loquitur autem S. Doctor, sicut et S. AUGUSTINUS, mox laudandus, de tentatione ADÆ. Sed eadem est de omnibus ratio; nisi quod impugnatio dæmonis post hominis lapsum, faciliori adhuc ratione concipiatur.

(2) *In lib. II. sent.* dist. 23, q. 1, art. 1, in conclus. — ap. VAN LOO *diss. cit.* pag. 68 seq.

sine eo factus non fuerat, ita nec sine ipso persistere poterat. Ut igitur homo nosset quod divinum posse non solummodo est omnis potentiæ causativum, sed etiam conservativum, et quod ipsum solum est quod non potest deficere nec expugnari, ideo placuit sibi creaturam rationalem facere vertibilem et expugnabilem, nec ipsam confirmare, quousque experimento disceret, quod ipse solus est in quo non cadit non posse.

« Secunda ratio est manifestatio divinæ *sapientiæ :* majoris enim sapientiæ est ostensivum, scire ordinare bona cum malis, et eligere bona ex malis, quam ordinare solum bona cum bonis; et ideo cum non deceret eum ibi mala facere, debuit talem facere creaturam, quæ posset in operando deficere et malum committere, ut Deus, mala illa ordinando, suam sapientiam declararet.

« Tertia ratio sumitur ex manifestatione divinæ *misericordiæ*, quæ potissime manifestata est, cum unigenitum Filium traderet ad liberationem servi.

« Quarta ratio desumitur ex manifestatione divinæ *justitiæ*, quæ potissime manifestatur in hoc, quod Deus retribuit unicuique secundum opera sua, præcipue in æterna punitione malorum. Hæc autem retributio, et punitio, et præfata misericordiæ liberatio non esset, nisi Deus creaturam rationalem et præcipue hominem in statu vertibilitatis fecisset, et ita potentem impugnari et expugnari; et ideo congruum fuit, Deum hominem in statu tali facere. »

15. Nec ideo putandum est adeo infelicem esse sortem justi. Fides enim catholica nos aperte docet, diabolum nil in hominem posse nisi permittente Deo. *Fidelis autem Deus est,* ait Apostolus (*I Cor. X.* 13), *qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.* Unde Beatus Jacobus exclamat (I. 12) : *Beatus vir, qui suffert tentationem : quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

Paulo quidem diutius quam nobismetipsis pridem proposueramus, huic quæstioni immorati sumus. Sed cum in decursu rationalistas, quorum error hac nostra ætate longe lateque grassatur, et Ecclesiæ ruinas undique minari gloriatur, offendissemus, non poteramus quin ipsorum fallacias lectoribus nostris detegeremus, ac impia commenta diluere conaremur. Neminem enim amplius latere debet, omnem Theologorum operam hujus formidolosissimi erroris confutationi deinceps impendendam esse : quod nos jam monebat S. S. D. N. Pius IX in epistola encyclica (1) IX novembris 1846.

(1) Cf. Revue Catholique, an. 1846-47. pag. 601 sqq.

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTUM. *Versiculo* 19 *capitis præcedentis sententiam hanc generalem protulit Jacobus : sit omnis homo velox ad audiendum : cujus sensum mox declaravit per illa verba : estote autem factores verbi, et non auditores tantum. Ad eam vero doctrinam illustrandam duo allegavit exempla, quorum posterius charitatis opera partim respiciebat. Hanc porro materiam in præsenti capite tractandam suscipit, et ita quidem ut ipsa, veluti quodam themate, utatur ad stabiliendum id quod primarium epistolæ objectum videtur, fidem scilicet absque operibus non prodesse ad salutem. Incipit itaque a redarguendo vitio illo, charitati maxime opposito et a Judæis frequenter admisso, quod personarum acceptionem vocat, cujusque fœditatem variis rationibus aperit* (1-9). *Ne autem hoc leve quid esse existiment, auditores suos admonet, illum qui legem in uno transgreditur totius legis violatæ reum constitui* (10-11). *Hinc vero progreditur ad opera misericordiæ generatim commendanda* (12-13), *hac præcipue ratione innixus quod fides, si opera non habeat, non prosit ad salutem* (14). *Quam thesim, epistolæ præcipuam, variis confirmat rationibus* (15-19); *maxime vero exemplis Abrahae et Rahab, quibus potissimum, ut videtur, abutebantur nonnulli ad falsum dogma stabiliendum* (20-26).

ỳ. 1. Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ.

ỳ. 1. Ἀδελφοί μου, μὴ ἐν προσωποληψίαις ἔχετε τὴν πίστιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς δόξης.

Paraphrasis. *Fratres mei, cavete ne simul cum fide Domini nostri Jesu Christi, Domini, inquam, gloriæ, vitium acceptionis personarum consociare velitis.*

ỳ 1. *Fratres mei, nolite in personarum acceptione,* cet.) Ad finem antegressi capitis dixerat Apostolus : *Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem, hæc est : visitare pupillos, et viduas in tribulatione eorum.* Hanc materiam fusius tractaturus, incipit a redarguendo turpi illo vitio, charitati maxime contrario, quod *personarum acceptionem* (προσωποληψιαν) vocat.

Est autem προσωποληψια, ut προσωποληπτης (Act. X. 34) et προσωποληπτειν (Jac. II. 9), vox Græcis penitus ignota, ad dictionem προσωπον λαμβανειν (Luc. XX. 21) efficta; quæ ipsa dictio græca non est, sed prosus hebraica, referens usitatissimum נָשָׂא פְּנֵי פ i. e. *personam alicujus accepit*, quod usurpatur *in malam partem* de eo qui *temere alicui favet*, aut *partium studio ducitur* (Job. XIII. 10); quique proinde aliquem judicat, non ut fert veritas aut æquitas rei, sed *personæ rationem habendo*. Judæos quidem ad hoc vitium propensissimos fuisse, testantur V. T. eloquia quæ personarum acceptionem frequenter commemorant atque exprobrant. Sacerdotes ipsos ab hoc vitio in ipsa legis interpretatione admittendo non abhorruisse, Malachias Propheta conqueritur (Cap. II. 9.), et ob id divinam vindictam denuntiat. — Notandum est nomina abstracta, ut προσωποληψιαι, plurali forma adhibita, denotare *varios* modos actionesque quibus sese manifestat res illa quam significat Nomen abstractum in singulari Numero positum (1).

Habere fidem Jesu Christi in personarum acceptione est fidem Jesu Christi (*Genitivus objecti*) profiteri, et nihilominus huic vitio indul-

(1) *Gram. Græc.* §. 27. 3. pag. 178.

gere, sive cum fidei Christianæ professione personarum acceptionem componere velle. — Ἐν hic dicitur de *eo quo quis instructus* est, et per latinam præpositionem *cum* reddi potest. — Illud της δοξης, *gloriæ*, in fine sententiæ positum, nonnihil obscuritatis habet : non enim statim apparet quo referendum sit. CAJETANUS Genitivum illum cum προσωποληψιαις conjungit, quasi Apostolus talem acceptionem personarum exprimere voluerit, quæ *penes gloriam* sive externum alicujus splendorem fiat. Verum huic sententiæ plurima obstant : nam vocabula ista nimio intervallo separantur ut ad invicem referri queant; deinde notio quæ voci δοξης subest, in προσωποληψια jam aliquatenus latet; nec tandem putaverim Apostolum ad illam tantum personarum acceptionem, quæ externum alicujus splendorem respiceret, increpationem suam coarctare voluisse. — Itaque non desunt qui Genitivum δοξης cum voce πιστιν construant, ita ut πιστις της δοξης sit πιστις ενδοξος, *fides gloriosa*, vel, ut syrus interpres intellexit, πιστις ἡ της δοξης (*Genitivus objecti*), i. e. *fides de gloria D. N. J. C.* : vertit enim : ܗܝܡܢܘܬܐ ܕܫܘܒܚܗ ܕܡܪܢ h. e. *fidem gloriæ* (*ejus*) *Domini nostri* (1). — Equidem maluerim, S. CYRILLUM ALEXANDRINUM (2) plurimosque interpretes secutus, vocem δοξης ad ipsum κυριου referre, *Hyperbaton*, haud adeo insolitum (3), et, quæcumque eligatur sententia, admittendum agnoscendo. Et hanc interpretationem non modo ipsa verborum dispositio, sed et innumera loca in quibus δοξα CHRISTO tribuitur, summopere mihi suadent : immo I Cor. II. 8 κυριος της δοξης ipse dicitur. Apposite vero JACOBUS, personarum acceptionem impugnans, gloriæ Domini meminit. Per hoc enim non obscure innuit homines non secundum externum meritum aut splendorem esse æstimandos, sed eo gloriosiores habendos quo CHRISTO, *Domino gloriæ*, per gratiam et vitæ ejus imitationem propinquiores sunt.

Si rationem quæras cur *Domini* vocabulum proprie CHRISTO tribuatur, respondet ESTIUS (*comm. in ep. ad Rom.* I. 7) : « Ea est, quia

(1) Video Æthiopem interpretem illud δοξης pro doxologia habuisse, cum verterit, *cui sit gloria*. Verum hanc sententiam nullo pacto posse defendi existimaverim.

(2) *Thesauri* assert. XXXII et *de Trinitate Dialog.* VI. — Opp. tom. VIII. pag. 300 et 603. Ed. AUBERTI.

(3) Cf. Rom. V. 6 (ετι); IV. 13 (επαγγελια).

CHRISTUS in assumpta carne pretio sui sanguinis nos e servitute diaboli redemit, sibique vindicavit in populum peculiarem, cujus proinde ipse quatenus homo, Dominus pleno jure effectus sit. Hinc passim in Apostolicis litteris honoris causa *Dominus* appellatur. » — Multiplici porro titulo CHRISTUS *Dominus gloriæ* (κυριος της δοξης sive ενδοξος) vocatur et est. Nam, et secundum Divinitatem, *splendor est gloriæ* (απαυγασμα της δοξης) Patris (Heb. I. 3); et secundum humanitatem, *suscitatus a mortuis, constitutus est ad dexteram Patris in cœlestibus, supra omnem principatum et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro, et omnia subjecta sunt sub pedibus ejus* (Eph. I. 20 sqq.); et secundum utramque naturam *salvator* noster est, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (της δοξης), *secundum operationem, qua etiam possit subjicere sibi omnia* (Philip. III. 21).

℣. 2-4. Etenim si introierit in conventum vestrum
vir aureum annulum habens in veste candida, introierit
autem et pauper in sordido habitu, [3] et intendatis in
eum, qui indutus est veste præclara, et dixeritis ei: Tu
sede hic bene : pauperi autem dicatis : Tu sta illic; aut
sede sub scabello pedum meorum : [4] nonne judicatis
apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum
iniquarum ?

℣. 2-4. Ἐὰν γὰρ εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν ἀνὴρ
χρυσοδακτύλιος ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, εἰσέλθῃ δὲ καὶ πτωχὸς
ἐν ῥυπαρᾷ ἐσθῆτι, [3] καὶ ἐπιβλέψητε ἐπὶ τὸν φοροῦντα τὴν
ἐσθῆτα τὴν λαμπρὰν, καὶ εἴπητε αὐτῷ· σὺ κάθου ὧδε
καλῶς· καὶ τῷ πτωχῷ εἴπητε· σὺ στῆθι ἐκεῖ, ἢ κάθου ὧδε
ὑπὸ τὸ ὑποπόδιόν μου· [4] καὶ [a] οὐ
διεκρίθητε ἐν ἑαυτοῖς, καὶ ἐγένεσθε κριταὶ διαλογισμῶν πονηρῶν;

PARAPHRASIS. *Etenim, ut hoc exemplo utar, si ingrediatur in conventum vestrum sacrum vir aureis annulis ornatus, et splendida veste indutus; ingrediatur vero etiam pauper indutus vili ac sordida veste; et si cum nescio qua admiratione eum, qui vestem illam præclaram gerit, solius splendoris ejus causa, contemplemini et dicatis ei : considas hic, commode et honorate; pauperi vero, solius vilis vestitus habita ratione, dicatis : tu illic consistas, vel hic sub scabellum pedum meorum considas : nonne in vobismetipsis dijudicastis, et iniqui judices facti estis?*

VARIANS LECTIO.

a) Particula *και* non multum sane auctoritatis habet, quamquam eam TISCHENDORFIUS receperit : non enim legitur in AB**C, nec in antiquis versionibus, neque in pluribus minusculis. Eam pariter non legit S. CYRILLUS ALEX.

℣. 2-4. *Etenim si introierit in conventum vestrum* cet.) Quid per acceptionem personarum intellexerit Apostolus, allato exemplo, jam explicat (*γαρ* ut Rom. VII. 2); simulque hujus rei iniquitatem declarat. — Ἑαν cum *Conjunctivo* (*εισελθῃ*), in locutionibus hypotheticis Græci usurpant, quando rem sumunt simpliciter tamquam talem quæ sit *objective*, i. e. spectatis rei circumstantiis, possibilis (1). — Vox *συναγωγη* (a *συναγω*) proprie *cætum* sive *congregationem* hominum, translata vero significatione *ipsum locum*, in quo congregatio illa fit, designat. Sic in libris N. T. usitatissimus ejus vocis usus est de locis in quibus ad preces publicas fundendas atque etiam, singulis sabbatis, ad legem audiendam (Act. XV. 21) Judæi convenire solebant. In præsenti tamen loco putaverim *συναγωγην* *conventum Christianorum* et quidem sacrum, non vero synagogam

(1) *Gram. Græc.* §. 42. pag. 318. B.

denotare. Conventum sacrum orationis series satis innuit : non enim culpæ verti posse videtur si in conventu civili seu privato pauperes in habitu sordido simul cum divitibus non admittantur. Ex altera parte, primos Christianos in ædibus privatis sacra peragere solitos novimus : nec est cur putemus Judæos in synagogis suis æmulos Christianos divino cultui vacare facile sivisse.

***vir annulum aureum habens in veste candida*, cet.)** Card. BARONIUS (1) *annulum aureum in veste candida* intelligendum putat de aurea fibula qua vestis perstringeretur : et, aliquo JOSEPHI testimonio nixus, virum quemdam regium, cui hujusmodi ornamentum gestare liceret in veste candida, hic a JACOBO describi opinatur. Verum hujusmodi interpretationem nequaquam postulat scopus Apostoli, quippe qui divitem pauperi simpliciter opponit; nec ipsam verba ferunt : nam vox χρυσοδακτυλιος (2) nil aliud denotare potest quam virum *digitos aureis annulis ornatos habentem* (3). — Præpositio ἐν de *eo quo quis indutus est*, ut Matt. VII. 15; Marc. XII. 38, hic usurpatur : nec ideo vim suam *localem* amittit; nam qui aliqua veste induitur, *in ea* est. Non igitur opus erat, quod nonnulli fecerunt, præpositioni εν in hisce casibus notionem præpositionis συν affingere. — Λαμπρος de eo dicitur quod est *splendidum et fulgidum*, absque ullius connotatione coloris : neque hoc interpretem nostrum latere potuit, quum, versiculo immediate sequenti, eamdem vocem non amplius *candidam* sed *præclaram* verterit. Syrus pariter vocabulum ܫܦܝܪܐ quod simpliciter *pulcher*, *speciosus* sonat, adhibuit.

***introierit autem et pauper*, cet.)** i. e. *introierit vero* (δε antithesi inserviens) *etiam* (και) *pauper*, *vili ac sordida* (ῥυπαρᾳ) *veste indutus* (εν).

℣. 3. *et intendatis in eum qui indutus est veste præclara*,

(1) *Annalium* tom. I. ad an. 34. n. LXXXI.

(2) De hac voce dubitatur utrum apud aliquem scriptorem græcum occurrat, quamvis eleganter composita sit ex χρυσος et δακτυλιος, ad similitudinem vocabulorum χρυσοζυγος, χρυσοζωνος, ῥοδοδακτυλον etc. quæ apud HOMERUM satis obvia sunt.

(3) Adeo invaluerat apud divites annulorum usus, ut scribere potuerit SENECA (*Nat. quæst.* l. VII. n. XXXI) : *Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma disponitur.* — Cf. PLINII *Hist. Nat.* lib. XXXIII. n. VI.

cet.) Quomodo fiat *in casu* personarum acceptio Apostolus describit : illam porro in hoc reponit, quod dives prædicta (την) veste præclara indutus, cum nescio qua admiratione aspiciatur, et locus honoratior (καλως) ei statim designetur, idque absque alia consideratione quam splendidi ipsius habitus : dum econtra in pauperem, licet forsan in rebus divinis instructiorem atque Deo gratiorem, quia tamen elegantius quo vestiatur indumentum non habet, oculos attollere eique sedem præbere vix digneris, vel si forte concesseris, nonnisi talem quæ ipsi confusionem faciat. — Satis verisimile est in conventibus Christianorum, ut et in synagogis Judæorum (cf. Matt. XXIII. 6), sedes alias aliis honoratiores fuisse.

***pauperi autem dicatis : Tu sta illic*, cet.)** Pro *autem* græce legitur και : huic tamen particulæ notionem *adversativam* in præsenti loco recte tribueris, ut I Thess. II. 28. Quam notionem και non ex se habet, sed tantum vi antitheticarum sententiarum quæ copulantur. — *Υπο το υποποδιον μου*, *infra*, *sub scabellum meum*, periphrastica locutio est quæ valet *humi*.

℣. 4. *Nonne judicatis apud vosmetipsos*, cet.) Varias hujus loci interpretationes a variis excogitatas enarrare longum foret. Difficultas ex duplici potissimum capite oritur, nempe ex particulis *καὶ οὐ* quibus præsens versiculus inchoatur, et ex notione formæ Passivæ *διεκρίθητε* tribuenda. In hoc vero sententiarum discrimine, eam quæ simplicior ac contextæ orationi convenientior nobis visa est, interpretationem proponimus. Putamus igitur versiculum hunc per vividam interrogationem Apodosin orationis vers. 2 incœptæ inducere. Et quidem notum est in *negativis* interrogationibus particulam *οὐ* plerumque adhiberi ubi *affirmativum* sequi debet responsum (Cf. Matt. VII. 22; I Cor. IX. 12). Quod attinet ad particulam *καὶ* quæ in editione Complutensi hic occurrit, ad textum, uti in var. lect. diximus, pertinere non videtur; quamvis, si legenda foret, nil negotii facesseret. Non enim est Græcis insuctum particulam hanc interrogationibus *indignantis* præponere. Cf. Act. XXIII. 3. — Nec est cur forma Passiva Aoristi *διεκρίθητε* nos valde moveat. Nam, ut notat VIGERUS (1) « parcius

(1) *De præcipuis græcæ dictionis idiotismis lib.* pag. 215. Ed. 3. Lipsiæ 1822.

quidem, aliquando tamen Aorista etiam, et Præterita passiva, pro activis aut mediis sumuntur. » Quod exemplis probat HERMANNUS (*Ibid. in nota*). Verbum autem διακρινειν in usitatissima sua significatione *discrimen faciendi*, ita ut unum alteri præferatur, hic sumpserim ut Act. XV. 9. Hanc enim notionem suadet *epexegetica* (και) sententia : *et facti estis judices cogitationum iniquarum* : qua videlicet explicatur *qualis* sit illa *discretio* quæ personarum acceptionem constituat. — Κριται διαλογισμων πονηρων sunt judices qui ex iniquis cogitationibus sive rationibus judicant. Latiori hujusmodi dependentiæ exprimendæ Genitivum nonnumquam inservire, exemplis late probat ill. D. BEELEN, *Gram. Græc.* §. 30. pag. 190 sqq.

℣. 5-7. Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? [6] Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia? [7] Nonne ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos?

℣. 5-7. Ἀκούσατε ἀδελφοί μου ἀγαπητοί· οὐχ ὁ Θεὸς ἐξελέξατο τοὺς πτωχοὺς τοῦ κόσμου πλουσίους ἐν πίστει καὶ κληρονόμους τῆς βασιλείας ἧς ἐπηγγείλατο τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν; [6] ὑμεῖς δὲ ἠτιμάσατε τὸν πτωχόν. Οὐχ οἱ πλούσιοι καταδυναστεύουσιν ὑμῶν, καὶ αὐτοὶ ἕλκουσιν ὑμᾶς εἰς κριτήρια; [7] Οὐκ αὐτοὶ βλασφημοῦσι τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς;

PARAPHRASIS. *Audite, fratres mei dilecti : nonne Deus sibi elegit pauperes mundi, qui fide divites forent et heredes regni quod repromisit diligentibus se? Et vos, contrariam prorsus rationem secuti, pauperem contemptui habetis! Quid est porro in divitibus quod vos adeo alliciat? Nonne ipsi tyrannidem exercent adversum vos, ipsique ad paganorum*

tribunalia vos rapiunt? Nonne ipsi blasphemant aut actione sua diffamant honorificum illud nomen, de quo Christiani vocati estis?

℣. 5. *Audite fratres mei dilectissimi.*) Probaturus jam quam fœda sit atque ideo sedulo fugienda personarum acceptio, auditorum attentionem excitare (*audite*), eorumque benevolentiam sibi conciliare (*fratres dilecti*) enititur.

Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, cet.) Primam rationem ad thesim suam firmandam repetit ex singulari benignitate ac dilectione qua Deus pauperes prosequitur, et quæ in eo maxime enituit quod potiori quodam modo ipsos sibi elegerit (εξελεξατο Aor. Med.) ad hoc ut essent fide divites, et heredes illius regni quod repromisit diligentibus se. Hanc porro rationem sicut et duas sequentes, Apostolus per hujusmodi interrogationem quæ *affirmativum* responsum expostulet, induit. Qui procedendi modus quadam emphasi non caret, et ad certitudinem rei magis inculcandam conducit. — Deus autem pauperes elegit non quidem *ad exclusionem* ceterorum, sed tamen potiori quadam ratione : nam eos et maturius et majori numero vocavit. Quod PAULUS I Cor. I. 26 sqq. testatur : *Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes : et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia : et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea, quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.*

Sive cum editione Complutensi πτωχους του κοσμου legeris, sive πτωχους τῳ κοσμῳ, quæ sane lectio auctoritate destituta non est, res eodem fere recidit. In priori casu *Genitivus* est *laxæ dependentiæ*, et intelligendi sunt ii qui *in hoc mundo pauperes* sunt : Gallice pariter diceres : *les pauvres de la terre*. In posteriori vero casu agnoscendus est *Dativus judicii*, et πτωχοι τῳ κοσμῳ ii sunt qui judicio mundi pauperes reputantur.

divites in fide, et heredes regni, cet.) Exprimitur *ad quid* pauperes

mundi Deus elegerit. Non enim ad modum *appositionis* verba illa accipi possunt, quasi dicere velit JACOBUS tunc Deum elegisse pauperes, quum divites in fide essent. Quod evincit vel illud additum : *et heredes regni :* nam manifestum est Deum neminem jam heredem regni elegisse, sed eligendo regni heredem fecisse. *Eligendo ergo facit divites in fide*, ait AUGUSTINUS (1), *sicut heredes regni..... Elegit Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant.* « Nihil ergo hic habent Pelagiani, ut recte animadvertit CORNELIUS A LAPIDE ad h. l., quo probent fidem esse ex nobis, non ex gratia Dei, quasi ob fidem viribus naturæ elicitam Deus fidelem eligat, infidelem respuat. » — Nec nos movere debet carentia Verbi quod Subjectum cum Prædicato conjungat : nam præterquam quod usitatissima sit verborum *ειναι* et *γινεσθαι* ellipsis, verbum *εκλεγομαι* ex illorum classe est quæ duplicem admittunt Accusativum, unum *subjecti* et alterum *prædicati :* cujus structuræ apud LXX interpretes 3. Reg. III. 8 exemplum occurrit.

Πλουσιος hic est *abunde instructus*, ut Eph. II. 4. De valore præpositionis *εν* in hac et simili locutione notat WAHL (2) : « Suspensum interdum est *εν*, sequente nomine statum indicante, a verbis, adjectivis et participiis qualitatem designantibus, ut, *qualis* appareat aliquis *in conditione aliqua* indicetur. — Vox *η βασιλεια*, pro qua sæpius *η βασιλεια του Θεου* vel *metonymice η βασιλεια των ουρανων*, alia atque alia significatione in libris N. T. legitur. Imprimis enim de *adventu et regno Messiæ* dicitur (Matt. III. 2; Luc. X. 9. etc.); tum, et quidem frequentius, de societate visibili a CHRISTO in terris fundata, sive de *præsentis temporis Ecclesia*, necnon de rebus ad ipsam pertinentibus. Insuper, speciali quodam modo, per Metonymiam *adjuncti pro subjecto*, de *ratione vitæ* in illo regno Dei instituenda Rom. XIV. 17 et I Cor. IV. 20 adhibetur. Denotat tandem *vitam in æternum beatam* (Act. XIV. 21) : et hanc ultimam significationem in præsenti loco obtinet vox *η βασιλεια*, quæ proinde re non differt ab illa *corona vitæ* cujus Apostolus supra (I. 12) meminit. Ibi pariter quinam per *diligentes Deum* intelligendi essent, exposuimus. — In *Genitivo* Pronominis Relativi *ἧς* cernere est *Attractionem*, scriptoribus sacris usi-

(1) Lib. de prædest. Sanctorum, cap. XVII.
(2) *Clavis N. T.* ad voc. *εν*, pag. 168.

tatissimam : qua nempe fit ut Relativum ponatur non in casu quem postulat Verbum ad quod illud pertinet, sed in casu obliquo antegressi Nominis (1).

Cl. VASQUEZ (2) ex præsenti loco probare contendit electionem efficacem ad gloriam ex meritis gratiæ prævisis fieri. Neutri tamen sententiæ verba JACOBI favere putaverim.

℣. 6. *Vos autem exhonorastis pauperem.*) Apostolus huic, qua Deus pauperes prosequitur, benignitati ac dilectioni, contumeliam qua egenum afficiunt quotquot *personas accipiendo* ipsum diviti inique postponunt, nervose opponit (δε). Quam vero inordinata esset ac damnabilis hujusmodi agendi ratio, concludere unicuique pronum erat. — Nomen τον πτωχον referendum non est ad definitum illum pauperem quem exempli causa vers. 2 JACOBUS introduxit, sed *collective* significat et *totum* pauperum *genus* designat. — Aoristo ητιμασατε non aliam vim quam *Temporis historici* iterum tribuerim.

Nonne divites per potentiam opprimunt vos, cet.) Argumentatur nunc ostendendo divites indignos prorsus esse qui pauperibus præferantur, propter odiosam nempe ipsorum agendi rationem tum respectu proximi (et est secunda ratio), tum respectu ipsius Dei : quam tertiam rationem vers. seq. exponit. — Jam vero non putaverim cum ESTIO verba JACOBI de solis divitibus Christianis esse intelligenda. Quamquam enim ad illustrandam propositionem suam exemplum divitis conventum sacrum adeuntis, ac proinde Christiani, allegavit, non ideo tamen putandum est ipsum eam tantum personarum acceptionem, quæ in locis sacris fieret, prohibere voluisse. Ejus quippe verba (*v.* 1) prorsus generalia sunt, et vitium illud in universum damnant.

Καταδυναστευειν τινος est *dominium exercere contra aliquem*. Præpositio κατα, quæ hujus Verbi compositionem ingreditur, translatam notionem suam obtinet qua, ubi cum Genitivo casu construitur, *de directione hostili adversus aliquem* usurpatur. Cf. Act. VI. 13; Rom. VIII. 33. — Κριτηριον proprie est *judicium* (I Cor. VI. 2. 4); sæpe tamen dicitur de *loco* ubi judicium exercetur, sive de *tribunali*;

(1) Cf. *Gram. Græc.* § 24. pag. 161 sqq.
(2) *In I part. disp.* 89. *cap.* 2.

et hoc sensu vocem *κριτηριον* in præsenti loco syrus interpres intellexit. Vertit enim : ܒܝܬ ܕܝܢܐ q. e. *domus judicii.*

Porro Judæos conversos ex parte popularium suorum incredulorum, maxime divitum, innumeris vexis ac persecutionibus obnoxios fuisse testantur LUCAS *Act.* VIII. 1; XIV. 21; XVII. 5 sqq., et PAULUS *ad Heb.* X. 33, 34. Divites vero Christianos non ea, qua par erat, sollicitudine et charitate erga fratres suos egenos affectos fuisse, tum ex infra (cap. V. 4. 6) dictis, tum ex 1 Cor. VI. 1. 8 abunde constat. Nec inconsuito specialem de judiciis mentionem JACOBUS injecerit : non erant enim tunc temporis nisi tribunalia Gentium : PAULUS vero jam opprobrio vertebat, quod auderet aliquis fidelium *habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et apud infideles* (I Cor. VI. 1. 6).

ỷ. 7. *Nonne ipsi blasphemant bonum nomen, quod invocatum est super vos?*) Tertia ratio est quam allegat Apostolus ut ostendat divites, si ipsorum merita respectu Dei attendantur, non magis honore ac prælatione dignos esse. — Βλασφημειν proprie est *βλαπτειν την φημην τινος* i. e. *alterius famam et existimationem quocumque modo lædere.* Quod quidem respectu Dei dupliciter fieri potest : uno modo *directe,* summam ejus majestatem conviciis proscindendo; et hoc modo Judæos incredulos, maxime vero, ut dubitari nequit, divites ac potentes, sanctum CHRISTI nomen lacessere solitos, ex Act. XIII. 45; XVIII. 6, etc., abunde patet. Altero modo *indirecte,* talia nempe opera patrando, ob quæ Deus apud eos qui non credunt in infamiam adducitur, quasi nimirum ipse facinora ea, quæ ab ejus cultoribus admitti deprehenduntur, vel non prohibeat, vel saltem in iisdem conniveat : unde fit ut *via veritatis blasphemetur* (2 Pet. II. 2). Et hoc sensu ipsi fideles *blasphemare* nonnumquam dicuntur : cf. Rom. II. 24. Hoc igitur modo divites illi Christiani qui pauperes opprimebant eosque ad judicia trahebant, *bonum nomen* blasphemabant : nam propter indignam suam agendi rationem, in causa erant cur *nomen Domini ejusque doctrina blasphemaretur.* — Verba græca *ονομα το επικληθεν εφ᾽ υμας* phrasim hebraicam שֵׁם נִקְרָא עֲלֵיכֶם (*nomen vocatum super vos*) serviliter referunt. Hebræi enim ut significent aliquem *hoc vel illo nomine appellari*, nomen illud *super ipsum invocari* dicunt. Cf. Deuter. XXVIII. 10. — Isaï. IV. 1. etc.

Græce vero dicitur *εκ τινος ονομαζεσθαι* vel *καλεισθαι* : qua locutione PAULUS Eph. III. 15. utitur. Nomen porro illud *honorificum* (*καλον* ut I Tim. III. 7.) quod blasphemabant isti, JACOBUS intelligit CHRISTI nomen, unde fideles *Christiani* dicti sunt (Act. XI. 26. — I Pet. IV. 16). — Vix moneamus opus est Apostolum non omnes divites indiscriminatim hic impetere : unum quippe probare intendit, videlicet divites, qua tales, nil habere cur præ pauperibus æstimentur et honorentur; immo sub plurimo respectu ipsis sæpe inferiores esse.

℣. 8-9. Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas : Diliges proximum tuum sicut teipsum : bene facitis : [9] si autem personas accipitis, peccatum operamini, redargui a lege quasi transgressores.

℣. 8-9. Εἰ *μέντοι νόμον τελεῖτε βασιλικὸν κατὰ τὴν γραφήν· ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν· καλῶς ποιεῖτε·* [9] *εἰ δὲ προσωποληπτεῖτε, ἁμαρτίαν ἐργάζεσθε, ἐλεγχόμενοι ὑπὸ τοῦ νόμου ὡς παραβάται.*

PARAPHRASIS. ***Si tamen nil aliud intenditis divites honore prosequendo quam adimplere præstantissimum illud Domini mandatum : Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis. Si vero in hoc personas accipitis, utique peccatum admittitis, lege vos arguente tamquam violatores.***

℣. 8. ***Si tamen legem perficitis regalem secundum Scripturas*** cet.) Ne ex verbis suis male intellectis alicui errandi ac divites vituperandi occasio præbeatur, et ut simul omni vanæ excusationi via præcludatur, Apostolus mentem suam disertius aperit. Non omnem erga divites reverentiam prohiberi declarat : magnum quippe dari discrimen inter reverentiam eam quæ ex studio legis Charitatis adimplendæ proficiscatur, et illam quæ ex fœdo acceptionis personarum vitio ortum ducat. Priorem si exhibueris, minime ad te pertinet superior illa reprehensio : immo præstantissimum Domini

mandatum perfeceris; ad posteriorem vero si declinaveris, utique peccatum admiseris.

Particula μεντοι, quæ hic transitioni inservit, conjunctio *discretiva* est, significans *sane*, *tamen* : eaque ultima significatio omnium frequentissima est, ut notat HERMANNUS *ad Viger. pag.* 843. Cf. Joh. IV. 27; VII. 13. etc. Componitur autem particula hæc ex μεν *quidem*, et enclitica τοι quæ adverbiis et conjunctionibus annecti solet.— Νομος h. l. præceptum singulare denotat ut Rom. VII. 3, videlicet præceptum charitatis erga proximum : quod ratione suæ *præstantiæ* βασιλικον dicitur. Hoc est enim præceptum quasi peculiare CHRISTI (Joh. XV. 12), *simile maximo et primo* (Matt. XXII. 38. sqq.), quod qui servat *legem implevit*, quia *plenitudo legis est dilectio* (Rom. XIII. 8. 10). Eodem plane sensu classici scriptores adjectivum βασιλικον adhibuere. Ita XENOPHONTES *Sympos.* I. 8. βασιλικον καλλος commemorat; PHILO pariter *quod omnis probus liber*, pag. 888 ait : βασιλικωτερον ουδεν αρετης. Nec alio sensu adjectivo *regali* usus est CICERO *De off. I.* 12 (1). Galli ipsi vocem *royal* de aliqua re in suo genere valde præstanti nonnumquam usurpant (2).

Locutio κατα την γραφην nil prorsus differt a locutionibus κατα το γεγραμμενον, καθως ειπεν η γραφη, καθως γεγραπται, et similibus, quæ verbis sacris recitandis inserviunt. Præceptum porro quod hic allegatur, ex septuaginta-virali versione Levit. XIX. 18 verbotenus desumitur. Sub veteri tamen Lege, non ea, quam ex divina CHRISTI ordinatione (Matt. V. 44; Joh. XIII. 34; XV. 12. etc.) obtinuit, amplitudine et excellentia gaudebat. — Αγαπησεις : frequentissimus est, etiam apud classicos, usus Futuri pro Imperativo in *jubendo* et *præcipiendo*, ut leniori orationis forma præceptum emolliatur. — Pro εαυτον codices plurimi habent σεαυτον. Ceterum « Pronomen εαυτου, uti scribit ill. BEELEN (*Gram. Græc. pag.* 146), quod, si originem ejus spectes, ad tertiam personam proprie pertinet, non raro etiam cum prima et secunda Persona construitur ubi hoc nocere nequeat perspicuitati orationis. » In singulari tamen nonnisi secundæ Personæ, et quidem rarius, jungitur ut Joh. XVIII. 34. — Verba *sicut teipsum* non *æqualitatem* sed *similitudinem* tantum dilectionis impor-

(1) *Regalis sane et digna Æacidarum genere sententia.*
(2) Cf. *Dict. de l'Acad.* ad h. v.

tare manifestum est. Cujus rationem reddit D. TH. 2. 2. *q.* 26. *a.* 4. *in corp.* : « Deus, ait, diligitur ut principium boni super quo fundatur dilectio charitatis. Homo autem seipsum diligit ex charitate secundum rationem qua est particeps prædicti boni. Proximus autem diligitur secundum rationem societatis in ipso bono. Consociatio autem est ratio dilectionis secundum quamdam unionem in ordine ad Deum. Unde sicut unitas potior est quam unio, ita quod homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi, quam quod alius associetur sibi in hac participatione. Et ideo homo ex charitate debet magis seipsum diligere quam proximum. »

ỹ. 9. *Si autem personas accipitis, peccatum operamini*, cet.) Si vero (δὲ) non ex motivo charitatis, sed solius externi status aut splendoris habita ratione, divitem honoratis, idque non sine pauperis injuria, tunc utique peccatum operamini, lege vos arguente tamquam transgressores. — Participium passivum præsentis temporis ελεγχομενοι per participium latinum iterum adæquate reddi non poterat : vertendum autem erat in Verbum finitum, ope conjunctionis *quippe* (*quippe qui arguimini a lege* etc.), ut rei natura satis manifestum facit; aut ablativus absolutus adhibendus erat (*lege vos arguente*). *Legem* autem, quæ hic arguere dicitur, intelligunt nonnulli legem Levit. XIX. 15 acceptionem personarum expresse prohibentem. Verum, si hanc cogitasset Apostolus, non video cur legem illam non disertius allegasset, uti de lege charitatis modo fecerat. Itaque *legem* plurimi interpretantur de ipsa lege regali : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, quam sane transgreditur is qui *personas accipiendo* unum præ altero indebito cultu prosequitur. Non desunt tamen qui legem in universum intelligendam esse putent : tum quia Apostolus absolute dicit του νομου, tum quia hac interpretatione nexum cum sequentibus facilius constitui existimant.

ỹ. 10-11. Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. [11] Qui

ỹ. 10-11. Ὅστις γὰρ ὅλον τὸν νόμον τηρήσει [a], πταίσει δὲ ἐν ἑνί, γέγονε πάντων ἔνοχος. Ὁ γὰρ εἰπών· μὴ μοιχεύσῃς·

enim dixit, Non mœchaberis, dixit et, Non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.

εἶπε καὶ· μὴ φονεύσῃς· εἰ δὲ οὐ μοιχεύσεις [b], φονεύσεις δὲ, γέγονας παραβάτης νόμου.

Paraphrasis. *Neque putetis leve quid esse in hoc uno legem transgredi : quicumque enim, servatis ceteris omnibus legis mandatis, unum tantum transgressus fuerit, quasi omnia violaverit reatu tenetur. Nam qui dixit : non mœchaberis, dixit pariter : non occides. Quod si non mœchatus quidem, occidas tamen, factus es simpliciter transgressor legis atque contemptor legislatoris.*

VARIANS LECTIO.

a) BC, Theophylactus, OEcumoenius, Hieronymus atque Vulgata legunt τηρησῃ : πταισῃ pariter apud eosdem occurrit, et insuper in cod. A.

b) Lectionem μοιχευεις, φονευεις, auctoritate præstare putaverim.

ỹ. 10-11. Devenimus jam ad locum explicatu difficillimum, uti testatur ipse Augustinus, qui de his Apostoli verbis ad Hieronymum prolixe scribens (1) : « quæso, ait, et per Deum obsecro ut exponas mihi, quod multis existimo profuturum, aut si jam vel abs te vel ab alio aliquo expositum habes, dirigas nobis, quomodo accipiendum sit quod in epistola Jacobi apostoli scriptum est, *quicumque enim totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Quæ res talis ac tanta est, ut quod hinc tibi non jam olim scripsi, multum me pœniteat. » Hieronymus tamen dispu-

(1) *Epist. CLXVII* (alias *XXIX*). Opp. tom. II.

tationem hac de re instituere non opportunum duxit, sed brevissime respondit (1) : « Duobus libellis tuis (*de origine animæ* ac *de sententia Jacobi*) quos meo nomini dedicasti, eruditissimis et omni eloquentiæ splendore fulgentibus, ad tempus respondere non potui : non quo quidquam in illis reprehendendum putem; sed quia juxta beatum Apostolum : *unusquisque in suo sensu abundet; alius quidem sic, alius autem sic* (Rom. XIV. 5). Certe, quidquid dici potuit, et sublimi ingenio de Scripturarum sanctarum hauriri fontibus, a te positum atque dissertum est. » Sententiam porro AUGUSTINI suo loco proferemus : ut autem in hujusmodi quæstione aliquid proficere valeamus, imprimis inquirendum nobis est, quemnam scopum in hisce proferendis Apostolus sibi præstituerit, sive quonam logico nexu præsens pericopa cum antecedentibus cohæreat. Textum igitur inspiciamus :

Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.) Jam vero sciendum est, pro conjunctione *autem* quæ in Vulgata nostra legitur, in textu græco particulam γὰρ absque lectionis varietate occurrere. Huic concinit Syrus, necnon AUGUSTINUS qui et ipse *enim* habet. Ex altera parte γὰρ pro δὲ alicubi positum fuisse, nullo firmo exemplo hactenus probari potuit. Quæ cum ita sint, minime dubitandum est logicum orationis nexum ex particula γαρ desumendum esse. Non omnes tamen in illo definiendo consentiunt. Existimant siquidem nonnulli particulam γαρ ad ultima præcedentis versiculi verba esse *directe* referendam : ita ut præsentem sententiam Apostolus adduxerit ad probationem ejus quod proxime dictum est : *redarguti a lege quasi transgressores.* Hunc igitur sensum statuunt : *nolite mirari quod absolute pronuntiaverim vos quasi transgressores argui a lege, nam reapse quicumque totam legem servaverit, uno tantum præcepto neglecto, hic factus est omnium reus.* Ita ESTIUS, SALMERO, POTT et alii. Nec diffitendum est huic sententiæ nonnihil roboris accedere ex verbis quibus Apostolus ratiocinationem suam vers. 11 claudit : *factus es transgressor legis.* Illam ceteroquin cum contexta oratione satis cohærere nemo non videt.

Non desunt tamen qui alteram sententiam præferendam arbitren-

(1) Opp. S. AUGUSTINI tom. II. pag. 612.

tur. Hi nimirum vim *ætiologicam* particulæ γαρ non respuunt : verum conjunctionem hanc non *directe* ad antecedentem sententiam referri, sed *elliptice* poni, eamque sententiæ *subintellectæ*, non expressæ, rationem reddere defendunt : qui sane usus particulæ γαρ in libris N. T. haud infrequens est (1). Sententiam porro subintelligendam eam esse putant, quam S. AUGUSTINUS, et post eum Ven. BEDA, innuit, videlicet : *ne putetis contemptibile esse peccatum in hac una re legem transgredi : nam etiamsi aliunde totam legem servaveritis, ob hanc tamen unam transgressionem totius legis violatæ rei constituemini.* Notat quippe cl. VASQUEZ (*in* 1. 2. *q.* 73. *a.* 1. *annot.*) ex BURGENSI : « errorem Pharisæorum fuisse, ut putarent non damnari eum qui majori ex parte legem observaret, quasi homines salvarentur qui majorem cumulum bonorum operum haberent quam peccatorum. » Ad hunc igitur errorem in auditoribus suis aut præcavendum aut præscindendum, sententiam illam JACOBUS protulerit : *quicumque totam legem servaverit* etc. Equidem putaverim, admissa hac interpretatione, orationem Apostoli vividiorem fieri atque minus in abstracto versari. Et huic sententiæ suffragari videtur Vulgatus auctor dum pro γαρ scribit *autem*. Quamvis enim in casu dicendus foret interpretem potius quam translatorem egisse, si tamen eum, quem exposuimus, nexum in mente reapse habuerit, illum aliter quam per conjunctionem *autem* exprimere non poterat.

Quædam nunc de verbis ipsis annotanda veniunt. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno*, h. e. *quicumque omnia legis mandata, uno excepto, servaverit.* Exceptiones quippe in S. Litteris nonnumquam ita exprimuntur, ut absolute primo *totum* affirmetur, et deinde negetur *pars* illa quæ excipitur. Ad hunc modum dicit CHRISTUS (Matt. XII. 31) : *omne peccatum, et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur.* —Εν ενι scilicet νομῳ, particulari tamen ut *v.* 8. — Παντων scl. νομων itidem particularium, quique ολον τον νομον constituunt.—Ενοχος (ab ενεχομαι) proprie est *adstrictus*, *alligatus* : quo sensu in N. T. non occurrit.

(1) Sic v. g. Act. IV. 22, particula γαρ non est directe referenda ad expressam sententiam : *et omnes Deum celebrabant propter id quod evenerat*, sed ad hanc subintellectam : *et vero valde illustre erat hoc miraculum.* Pariter IX. 11, ante γαρ supplenda est hæc sententia : *neque timeas illum adire.* — Plurima exempla dabit WAHL *Clavis N. T.*, ad voc. γαρ sub b.

Metaphorice vero eum generatim designat qui *morali quodam vinculo quasi vinctus et obstrictus est*, et speciatim *criminis reum* aut *obnoxium pœnæ* denotat. Construitur modo cum *Genitivo* (I Cor. XI. 27), modo cum *Dativo* (Matt. v. 21), modo cum εις et *Accusativo* (Matt. V. 22), quod tamen pro simplici Dativo scriptum videtur.

℣. 11. *Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit et, Non occides*, cet.) Rationem (γαρ) affert cur ille qui offendit in uno fiat omnium reus. Ratio autem hæc desumitur ex identitate legislatoris, cujus auctoritas, uti modo, S. THOMAM secuti, dicemus, non minus in transgressione hujus quam illius præcepti negligitur : ita ut si, servato uno præcepto, alterum transgressus fueris, legislatorem simpliciter contempseris, ideoque tamquam legis transgressor traduceris.

Και valet hic *etiam*. — Particula δε, quæ priori loco occurrit, est *continuantis* argumentationem, ut Rom. VII. 16. Reddi potest per conjunctionem *quod, jam vero*. — Quod ad Perfectum γεγονας attinet, sciendum est, quod monet ill. D. BEELEN (*Gram. Græc. pag.* 291) : « Perfectum nonnumquam *de actione futura* adhibitum legi in Apodosi post Protasin quam ducit particula εἰ, ἐὰν, sequente *Futuro* aut *Aoristo* (vid. tamen var. lect.); quo casu ea est *Perfecti* vis ut indicet summam rei futuræ certitudinem, sive rem tam certo futuram, ac si jam facta esset. » Qui Perfecti usus nec Latinis ignotus fuit. Sic LIVIUS alicubi scripsit : *Si tales animos in prælio habebitis, quales hic ostenditis, vicimus*. — Vocem νομου de lege in universum intelligendam esse dubitaverit nemo qui attenderit Apostoli ratiocinationem, cujus hoc comma conclusio est, ad id unice tendere, ut demonstret *omnium reum* fieri eum qui vel in uno offendat.

Jam vero inquirendum nobis est quonam sensu præsens Apostoli sententia *theologice* vera sit. Ea quippe graviter abusi sunt sæc. XVI Novatores, ex hoc præsertim loco eruere contendentes commentitiam prorsus esse illam, quam Ecclesia Catholica ab omnibus retro sæculis semper agnovit, peccatorum in *mortalia* et *venialia* distinctionem. In hoc autem Apostoli sensu definiendo non parvam difficultatem jacere, præter ea, quæ modo recitavimus, AUGUSTINI verba, et eam, quam memoravimus, HIERONYMI hæsitationem, varia interpretum ad illam sententiam explicandam conamina satis produnt.

Imprimis porro non eam fuisse JACOBI mentem ut senserit peccata

adeo esse connexa, ut non possit unum admitti quin eo ipso cetera omnia simul admittantur, quod Stoïci olim et post eos Novatiani somniarunt, ipse manifestum facit. Aperte enim significat totam legem servari posse, uno excepto; et aliquem furari posse quin mœchiæ peccato contaminetur. Et eum quidem qui furtum admisit non ideo homicidii et adulterii et calumniæ et aliorum criminum reum dici posse, recta ratio clamat.

Deinde quando dicit Apostolus *omnium reum fieri eum qui offendit in uno*, culpam utique gravem audit, uti ex allegatis statim exemplis (*v.* 11) patet. Acceptionem autem personarum ad grave peccatum pertingere posse, v. g. si in judiciis vel in rerum spiritualium dispensatione obtineat, aut cum gravi alterius detrimento fiat, apud omnes Theologos in confesso est. Aliunde non omnia indiscriminatim peccata æque gravia JACOBUM reputasse, quod tamen sectarii jactitare solent, vel ex ea distinctione quam cap. I. 15 inter partum peccati et ipsius consummationem instituit, abunde constat. Insuper, cap. III. 3 scribit : *in multis offendimus omnes ;* si igitur ex mente Apostoli omnia peccata mortalia dicenda forent, ultro sequeretur inde *omnes* omnino fideles ipsumque JACOBUM *omnium reos* fuisse, nec proinde *justos*. Et tamen cap. V. 16 auditores suos ad orandum pro invicem hortatur quia *multum valet deprecatio justi apud Deum*.

Et hæc quidem extra dubii aleam posita sunt. Nunc vero videndum est quonam sensu JACOBI sententia ea, quam diximus, ratione restricta, consistere queat. Ad quod explicandum varias, uti jam innuimus, vias interpretes inierunt.

Et primo quidem, non defuere qui, difficultate rei componendæ pressi, asserere non dubitarent pro *πάντων* (*v.* 10) legendum esse *πάντως*, ita ut sensus sit : quisquis totam legem servaverit, peccaverit autem in uno, reus *omnino* fit. Hæc utique via ad difficultatem expediendam facillima apparet : sed merum commentum est, nulla prorsus codicum auctoritate nixum, ac proinde nihili habendum.

Alii putant JACOBUM, Hebræorum (1) morem secutum, numerum *cardinalem* pro *ordinali* posuisse, et sic *εν ἑνὶ* idem valere ac *εν πρωτῷ*.

(1) Verum notandum est usum numeri *cardinalis* אֶחָד pro *ordinali* positi, vix obtinere nisi in numerandis mensium diebus. Quod autem dicunt שְׁנַת אַחַת hoc valet Gallorum : *l'an un*. Cf. GESENII lexicon ad h. v.

Quem usum in libris N. T. pluries obtinere observant: v. g. Matt. XXVIII. 1; Marc. XVI. 2 etc., ubi, aiunt, *μια σαββατων* pro *πρωτη σαββατων* indubie ponitur. Illam autem *primam* legem intelligunt qua præcipitur dilectio proximi : in qua quia tota lex recapitulatur (Rom. XIII. 9), ideo omnium reus fit qui eam unam transgreditur, v. g. personarum acceptionem admittendo. Verum philologicum hujusce sententiæ fundamentum maxime infirmum est. Nam etiamsi probare possent nomen *cardinale* εἷς eo sensu alicubi adhibitum esse ut non tantum vim *ordinalis* nominis habeat, sed et *primariæ dignitatis* notionem includat, quod ad thesim suam firmandam necessario statuere debent, attamen hanc notionem in præsenti casu non obtinere, vel defectus articuli satis demonstraret. Deinde, admissa hac interpretatione, non amplius apparet quomodo vers. 10 cum insequenti cohæreat.

AUGUSTINI sententia, quam et Ven. BEDA suam fecit, et quæ pariter THEOPHYLACTO et OECUMOENIO placuit, sequenti modo proponitur prælaudatæ epistolæ cap. V. n. 16 : « Unde fiet omnium reus, si in uno offendat, qui totam legem servaverit? An forte, quia plenitudo legis charitas est qua Deus proximusque diligitur, in quibus præceptis charitatis tota lex pendet et Prophetæ (Matt. XXII. 40), merito fit reus omnium, qui contra illam facit, in qua pendent omnia? Nemo autem peccat, nisi adversus illam faciendo : quia, *non adulterabis, non homicidium facies, non furaberis, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur,* in eo quod est, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo* autem *legis, charitas* (Rom. XIII. 9. 10). Nemo autem diligit proximum, nisi diligens Deum, et hoc, quantum potest proximo impendat, quem diligit tanquam semetipsum, ut et ille diligat Deum : quem si ipse non diligit, nec se, nec proximum diligit. Ac per hoc qui totam legem servaverit, si in uno offenderit, fit omnium reus; quia contra charitatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam in qua pendent omnia. » Dein N. 17 objectioni occurrit : « Cur ergo non dicantur paria peccata? An forte quia magis facit contra charitatem qui gravius peccat, minus, qui levius? et hoc ipso quod admittit, fit quidem omnium reus : sed gravius peccans, vel in pluribus peccans, magis reus; levius autem vel in paucioribus peccans, minus reus : tanto majore scilicet reatu, quanto amplius; tanto minore, quanto minus peccaverit : tamen

etiamsi in uno offenderit, reus omnium est, quia contra eam facit in qua pendent omnia? » Hæc AUGUSTINUS. Verumtamen, ingenue dicam, salva reverentia tanto doctori debita, hæc ejus expositio quietem mihi nondum facit. Quamvis enim *in se* vera sint ea quæ ibidem disputat, vereor tamen an Apostoli mentem in præsenti loco referant : nec enim, admissa hujusmodi interpretatione, vim argumentationis vers. 11. institutæ perspicio.

Alias hypotheses ad præsentem difficultatem solvendam excogitatas enarrare supersedeo : secus enim recensionis nostræ vix esset finis. Quod si in tanto opinionum conflictu, aliquid proponere liceret, multum propenderem in illam simplicissimam Doctoris Angelici sententiam, quam *Sum.* 1. 2. *q.* 73. *a.* 1. *ad* 1 tradit : « Dicendum, ait, quod JACOBUS loquitur de peccato non ex parte conversionis, secundum quod peccata distinguuntur : sed loquitur de eis ex parte *aversionis*, in quantum scilicet homo peccando recedit a legis mandato : omnia autem legis mandata sunt ab uno et eodem, ut ipse ibidem dicit : et ideo idem Deus contemnitur in omni peccato ; et ex hac parte dicit, quod *qui offendit in uno, factus est omnium reus* ; quia scilicet uno peccato peccando incurrit pœnæ reatum ex hoc quod contemnit Deum, ex cujus contemptu provenit omnium peccatorum reatus. » — Atque hæc explicatio ad argumentationem et scopum Apostoli optime quadrare videtur, sive dicas ipsum personarum acceptores legis transgressores esse probare voluisse ; sive potius ipsum auditores suos ab errore, quo nonnulli putaverint unius præcepti violationem non aliquid grave esse nec saluti obfuturum, avertere existimes.

ỷ. 12-13. Sic loquimini, et sic facite sicut per legem libertatis incipientes judicari. [13] Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam : superexaltat autem misericordia judicium.

ỷ. 12-13. Ὄυτω λαλεῖτε καὶ οὕτω ποιεῖτε ὡς διὰ νόμου ἐλευθερίας μέλλοντες κρίνεσθαι· [13] ἡ γὰρ κρίσις ἀνιλεως τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος· κατακαυχᾶται [a] ἔλεον κρίσεως.

PARAPHRASIS. *Sic loquimini et sic agite, tamquam qui per legem Evangelicam, quæ celeroquin veræ libertatis lex est, judicandi sitis. Judicium quippe absque misericordia erit respectu illius qui erga proximum misericordem se non exhibuerit : misericordia vero præstita judicium superat ac vincit.*

VARIANS LECTIO.

a) Magna hic cernitur codicum varietas : etenim A legit κατακκαυχασθω ; B, teste BENTLEIO, κατακαυχατι, item κατακαυχᾶτε vel κατακαυχᾶ τι ; C**, cui concinit Syrus, κατακαυχασθε ; TISCHENDORFIUS probatiorem habet lectionem κατακαυχαται quam exhibent BCK, minusculi plures, atque Itala. Eodem modo legerunt THEOPHYLACTUS et OECUMOENIUS.

℣. 12-13. *Sic loquimini, et sic facite,* cet.) Generalis hæc admonitio transitio est qua præcedentem exhortationem de personarum acceptione sedulo fugienda Apostolus claudit, simulque thema de operibus misericordiæ exercendis aperit. Quo themate tamquam exemplo præclare utitur ad illustrandam doctrinam de necessitate bonorum operum ad salutem : hæc autem doctrina, uti jam diximus, velut primarium epistolæ objectum apparet.

Præsentem pericopam sequenti paraphrasi reddiderim : *sic loquimini et sic agite, tamquam qui per Legem Evangelicam, quæ ceteroquin veræ libertatis lex est, judicandi sitis. Judicium quippe absque misericordia erit respectu illius qui erga proximum misericordem se non exhibuerit : misericordia vero præstita judicium superat ac vincit.*

sicut per legem libertatis incipientes judicari.) Pro *incipientes judicari*, græce legitur μέλλοντες κρίνεσθαι : quæ structura in libris N. T. haud infrequens est, ita tamen ut μέλλειν cum Infinitivo Præsentis ibidem *plerumque* construatur, dum econtra apud

Græcos cum Infinitivo Futuri *frequentissime*, cum Infinitivo vero Præsentis *minus frequenter* constructum occurrat. Quamvis et hoc ultimum alienum videri non debeat, cum ipsum verbum *μελλειν* notionem Futuri jam includat. Non est porro existimandum hujusmodi structuram meram esse Futuri periphrasim. « Nam, uti notat HERMANNUS *ad Viger pag.* 754. *n.* 260, *ποιήσω*, ut *faciam*, futurum est aoristum, i. e. indefinitum, ea indicans quæ aliquando, quandocumque id sit, eventura sint. Μέλλω ποιεῖν autem, *facturus sum*, futurum est præsens, significans nunc aliquem in eo esse, ut quid facturus sit. » Et putaverim quidem HIERONYMUM hoc discrimen specialius connotare velle, quoties *μελλειν* per verbum *incipere* reddit (cf. Marc. XIII. 4; Joh. IV. 47; Act. III. 3. etc.). Sæpius tamen pro structura græca Verbum Substantium cum Participio Futuri Temporis posuit. — *Δια* hic usurpatur, ut Rom. II. 12, de *instrumento per quod* quid efficitur. *Lex* autem *libertatis* non alia intelligenda est quam lex Evangelica : quam Apostolus, judicium ad ipsius normam instituendum commemorans, non sine industria legem libertatis vocat. Quonam sensu lex Evangelica sit lex libertatis, ad cap. I. 25 (pag. 85) diximus.

ỷ. 13. ***Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.)*** Explicat (*γαρ*) cujusmodi futurum sit judicium per legem libertatis instituendum, simulque innuit quomodo loqui et agere debeant ii qui per illam legem quondam judicandi sunt. Manifestissime porro alludit ad doctrinam ab ipso CHRISTO traditam Matt. XVIII. 23-35; XXV. 34-46.

Ανελεος (sic enim cum plurimis et probatissimis codicibus legendum est), pro quo Græci dixerint *ανηλεης* aut certe *ανελεης*, analogice ex *α priv.* et *ελεος* formatum, proprie est *immisericors.* — Τῳ *μη ποιησαντι ελεος* Dativus est *incommodi.* *Ποιειν ελεος* locutio est hebraica עָשָׂה חֶסֶד quæ, ubi de homine usurpatur, notat benigne et humanitus cum aliquo, maxime cum misero, agere.

superexaltat autem misericordia judicium.) Græce : *κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως.* Verbum *κατακαυχῶμαι* quater in N. T. occurrit, nempe : hic et infra cap. III. 4; bis vero Rom. XI. 18. Jam vero, si præsentem locum excipias, reperies HIERONYMUM ver-

bum istud per locutionem *gloriari adversus* ubique reddidisse. Et re quidem vera, κατακαυχῶμαι τινος, quod idem est ac καυχῶμαι κατα τινος, est *ita glorior ut alterum præ me contemnam*. Quam notionem hic etiam obtinere non dubitaverim, ita ut, dempta metaphora, voluerit JACOBUS significare eos, qui misericordiam proximo suo impenderint, divinum judicium minime reformidaturos; quia misericordia quodammodo *superat* ac *vincit* judicium, quatenus ejus severitatem flectit et emollit, sicque *adversus* ipsum quasi *gloriatur*. Dixit quippe CHRISTUS : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (Matt. V. 7). — Hæc igitur sententia præcedenti *antithetice* respondet : et ex *asyndeto* (nam juxta probatiorem lectionem nulla particula hic agnoscenda est) fortior evadit oppositio (cf. supra cap. I. 19). Haud aliter Apostoli verba syrus interpres intellexit : ea enim interpretatur : ܡܫܬܒܗܪܝܢ ܐܝܬܝܟܘܢ ܒܪ̈ܚܡܐ ܥܠ ܕܝܢܐ h. e. *gloriantes vos propter misericordias supra judicium*.

Nec improbabilis apparet ERASMI conjectura qui codices latinos vitiatos esse suspicatur, et pro *superexaltat* legendum esse *superexultat*, quemadmodum et AUGUSTINUS *cit. epist. XXIX. n.* 19 et *epist. LXXXIX. n.* 36 legit : *superexultat judicio*. Vetus Itala habet : *supergloriatur autem misericordia judicium*.

℣. 14. Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?

℣. 14. Τί τὸ ὄφελος, ἀδελφοί μου, ἐὰν πίστιν λέγῃ τις ἔχειν, ἔργα δὲ μὴ ἔχῃ; μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτόν;

PARAPHRASIS. *Quænam est utilitas, fratres mei, si fidem dicat aliquis se habere, opera vero bona non curet? Numquid potest ipsum sua fides salvum facere?*

Ad eam epistolæ partem nunc pervenimus, quæ LUTHERO bilem maxime movit, et propter quam in totam epistolam stolide debacchatus est. Ex hac enim pericopa (14-26) occasionem sumpsit ipsam, uti

spuriam, e sacrorum librorum canone expungendi : illud quidem prætexens, quod doctrinæ PAULI adversaretur; re autem vera, ea sola ratione ductus, quod placitis suis aperte contradiceret. Ceteri Novatores qui epistolam JACOBI rejicere opportunum non existimaverunt, non minus ridiculos se præbent dum, ad elevandam vim argumenti quod ex præsenti loco adversus fundamentale ipsorum principium Catholici urgere solent, Apostoli verba contorquent et ad absurdissimam sententiam reducunt. Cum porro ex logica systematis necessitate interpretationem suam confingere debuerint, putaverim illam non posse satis recte intelligi ac refelli, nisi perspectum habueris quænam sint in negotio renovationis ac salutis humanæ fidei et operum partes, sive in systemate Novatorum, sive in doctrina Catholica. Ne prolixiores simus, cavebimus : locus ceteroquin dignus est qui copiosius a nobis illustretur.

Protestantes, posito semel principio, « justitiam esse de natura hominis; ea autem per peccatum amissa, non mansisse integra naturalia » (LUTHERUS *in Genes. cap. III*), consequenter « docent, quod post lapsum Adæ omnes homines, secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu Dei, sine fiducia erga Deum, et cum concupiscentia » (*Confess. August. Art. II. p.* 12). Credunt « igitur, quod hominis non renati intellectus, cor et voluntas in rebus spiritualibus et divinis prorsus nihil intelligere, credere, amplecti, cogitare, velle, inchoare, perficere, etc., possint.» Et affirmant « hominem ad bonum (vel cogitandum vel faciendum) prorsus corruptum et mortuum esse : ita quidem, ut in hominis natura, post lapsum, et ante regenerationem, ne scintillula quidem spiritualium virium reliqua sit » (*Solid. Declar. II. de lib. arbitr.*, § 7, *p.* 629). Consequenter homo « ad conversionem suam prorsus nihil conferre potest » (*Ibid.* § 43. *p.* 644). « Etsi autem Dominus hominem non cogit, ut convertatur.... attamen trahit Deus hominem, quem convertere decrevit » (*Ibid.*). Illum porro per *fidem* trahit. « Sola fide in Christum, non per dilectionem, non propter dilectionem aut opera consequimur remissionem peccatorum, etsi dilectio sequitur fidem » (*Apolog. IV. de justific.*, § 26. *p.* 76). Hæc autem fides obtinet, « cum credunt se in gratiam recipi, et peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit » (*Confess. Aug. art. IV. fol.* 13). « Justa igitur fidei definitio est, si dicamus esse

divinæ erga nos benevolentiæ firmam certamque cognitionem, quæ gratuitæ in Christo promissionis veritate fundata, per Spiritum Sanctum et revelatur mentibus nostris et cordibus obsignatur. » (CALVIN. *Instit.*, *l. III. c.* 2. §. 7. *fol.* 195.) « Fides vero tantum eam ob causam justificat, et inde vim illam habet, quod gratiam Dei et meritum Christi in promissione Evangelii tamquam medium et instrumentum apprehendit et amplectitur. » (*Solid. Declar. III. de fidei justif.* §. 36. *p.* 662.) « Interim diligenter in hoc negotio cavendum est, ne bona opera articulo justificationis et salutis nostræ immisceantur. » (*Solid. Declar. IV.* §. 15. *p.* 672.) Nec post justificationem magis necessaria sunt homini opera. « Ita dives est homo christianus, etiam volens non potest perdere salutem suam quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla enim peccata eum possunt damnare, nisi sola incredulitas. Cetera omnia, si redeat vel stet fides in promissionem divinam baptizato factam, in momento absorbentur per eamdem fidem. » (LUTHER. *de Captivit. Babyl.*, *tom. II. fol.* 284.)

En quæ statuit Reformatio de opere justificationis et renovationis humanæ! Homo, si fidem, i. e. fiduciam in gratuita Dei misericordia, habeat, non potest non justificari. Nec cogitari potest fides quæ non justificet, quia omnis fides, eo ipso quod fides sit, gratiam Dei et meritum Christi apprehendit, in qua apprehensione justificationem totam jacere dicunt. Et hoc præstat fides quamdiu perdurat.

Istis delirantium placitis ex adverso respondet Ecclesiæ catholicæ doctrina. Cum enim firmiter credat, per peccatum originale in homine « liberum arbitrium minime exstinctum esse, viribus licet attenuatum, et inclinatum » (*Conc. Trid. sess. VI. de justific. cap. I*), propriam in ipso, ad gratiam justificationis obtinendam, dispositionem consequenter requirit : « ita ut, tangente Deo cor hominis per spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam et abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit » (*cap. V*). « Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti, *fidem* ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, *credentes vera esse, quæ divinitus revelata, et promissa sunt;* atque illud imprimis, a Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in

Christo Jesu : et dum peccatores se esse intelligentes, a divinæ justitiæ *timore*, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in *spem* eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore : illumque, tamquam omnis justitiæ fontem, *diligere* incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, et detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet : denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata » (*cap. VI*). « Hanc dispositionem, seu præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, et renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum, unde homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit heres secundum spem vitæ æternæ » (*cap. VII*). Itaque « quum Apostolus dicit, justificari hominem per fidem, et gratis; ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit, et expressit : ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix (1) omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire : gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin, ut idem apostolus inquit, gratia jam non est gratia » (*cap. VIII*). Sic porro « justificati, et amici Dei, ac domestici facti,...

(1) Hæc concilii verba præclare illustrat Card. Toletus, *Comm. in Epist. ad Rom.* ad cap. III. 22.; quem ideo hic recitare operæ pretium duximus. « Fides, ait, est initium, fundamentum et radix ceterarum dispositionum. Et *initium* quidem dicitur, quia ipsa præcedit; nisi enim peccator peccasse se contra Deum, et per Christum sibi justitiam oblatam credat, — nec sperat, nec diligit, nec se peccasse dolet; fides ergo initium est. *Fundamentum* autem dicitur, quia ipsi ceteræ innituntur; ablata namque fide, ceteræ corruunt, nec subsistere possunt; ceteris vero sublatis, non continuo fides destruitur : sicut ablato fundamento ædificium ruit; non autem e contrario, ædificio destructo, fundamentum eruitur. *Radix* tandem dicitur, quia ad ceteras dispositiones producendas ipsa concurrit; non quod hæ necessario consequantur fidem, nec quod sola fides sine adjutorio supernaturali eas inducat; sed quod ex parte ad actus tales producendos concurrit una cum auxilio divinæ gratiæ. Charitati enim proponitur per fidem Deus amandus; spei per fidem offertur Dei misericordia speranda; timori justitia timenda; pœnitentiæ peccatum et offensa dolore et contritione punienda. »

per observationem mandatorum Dei, et Ecclesiæ, in ipsa justitia per CHRISTI gratiam adepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur » (*cap. X*). « Nemo autem, quantumvis justificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet;..... Nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se heredem esse constitutum, hereditatemque consecuturum, etiamsi CHRISTO non compatiatur, ut et conglorificetur » (*cap. XI*).

Itaque ex doctrina Catholica, fides quæ hominem ad justificationem disponit ac præparat, non est vana illa, quam Novatores finxere, fiducia; sed ea fides quæ *est actus intellectus assentientis divinæ veritati ex imperio voluntatis motæ per gratiam* (S. TH. 2. 2. q. 2. art. 9). Nec fides *sola*, quantumvis vera fides sit, hominem justificat, sed necesse est ut aliæ dispositiones seu actus aliarum virtutum ipsi cooperentur, non quasi rationem meriti proprie dicti habeant, cum prorsus gratuita sit justificationis gratia, sed rationem *præparationis* seu *dispositionis* removentis obicem; et quæ aliunde vim suam totam hauriunt ex principio fidei et gratiæ, tum excitantis tum adjuvantis, vi cujus eliciuntur. Tandem homo justificatus non potest in *otiosa* fide quiescere, sed magis satagere debet, *ut per bona opera certam suam vocationem et electionem faciat* (2 Pet. I. 10).

Et hæc breviter exposuisse necesse fuit, ut quæ postea dicenda erant rite intelligerentur. Quam vero facile sit, doctrina catholica semel bene perspecta, PAULUM et JACOBUM, specietenus discrepantes, inter se componere, in quo reformatores frustra allaborant, e speciali excursu, quem huic capiti subjiciemus, manifesto cuique patebit. Interim JACOBUM interpretari pergimus.

Itaque accepta occasione ex generali, quam præmisit, operum misericordiæ commendatione, thesim de necessitate operum ad salutem aggreditur : quam illustrando, opera misericordiæ iterum iterumque inculcat.

Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?) Propositio est, quam deinceps ad finem usque capitis Apostolus evolvit. Illam porro per duplicem interrogationem vivide profert : quarum altera disertius explicat cujusnam generis utilitatem intellexerit

quando dixit : *Quid proderit?* quia vero *negativam* responsionem ipsi dari vult, ideo eam per μὴ inducit. — Sensus perspicuus est : *quænam est utilitas, fratres mei, si fidem dicat aliquis se habere, opera vero bona non curet? Numquid potest ipsum sua fides salvum facere?* Verum hic sensus perspicuus Novatorum placitis prorsus adversabatur. Quid inde? LUTHERUS epistolam simpliciter rejecit : CALVINUS autem, recte existimans ejus authentiam in dubium nullo jure posse revocari, sequentem, ut a difficultate, qua premebatur, se expediret, explicationem seu potius depravationem proposuit. Ipsius verba recitamus : « Et sane perversa hujus loci expositio, ait (1), tritam illam apud sophistas (catholicos audit) distinctionem peperit fidei informis et formatæ. Atqui, nihil tale JACOBUS cogitavit : nam ipsum de falsa professione loqui, ex primis verbis constat. Neque enim sic incipit : *si fidem quis habeat*, sed, *si quis se habere dicat*, quo certe innuit jactare hypocritas inane fidei nomen, quod reipsa minime in eos competit. Ergo quod ipse quoque *fidem* appellat, *concessio* est, ut Rhetores vocant........ Meminerimus eum non ex proprio animi sensu loqui, quoties hic fidem nominat; sed potius adversus eos disputare, qui fidem, qua prorsus carent, falso prætendunt. » Hæc ille.

Equidem in re tanti momenti (de æterna quippe animæ salute agitur) interpretationem suam aliquo fundamento munire debuisset CALVINUS. Verum non solebant reformatores de vi argumentorum suorum adeo solliciti esse (2). Quid roboris habeat illa argutiola, ex forma apostolicæ orationis *si quis fidem dicat se habere* etc. conficta, minime video. Unum vero perspicio, nimirum calvinianam interpretationem ex multiplici capite falsam demonstrari.

Et primo quidem, vocabulum πιστις eam constanter obtinet notionem ut *firmum animi assensum* denotet : nec ullum N. T. locum novi, in quo πιστις de falsa professione externa usurparetur. Rhe-

(1) *Comment. in Epist. Canonicas*, pag. 117. Genevæ 1554.

(2) Exemplum quondam præbuit LUTHERUS qui, ut dogma suum de sola fide justificante aliquo scripturæ textu fulciret, particulam *solam* in versione germanica Rom. III. 24 addidit contra fidem omnium tam græcorum quam latinorum codicum. Quod neque ipse, cum hac de re esset postulatus, negare putuit, sed pro ea, qua erat, modestia respondit : *sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.* Cf. SCHWETZ, *Theol. Dogm. cathol.* tom. II. pag. 503. Viennæ 1852.

torica vero *concessio*, ad quam hic confugit CALVINUS, desperatæ causæ figmentum est. — 2° Si JACOBUS non veram fidem, sed fictitiam tantummodo, sive hypocritam fidei jactationem intellexisset, nihil prorsus dixisset : ecquis enim de hujusmodi fidei insufficientia umquam dubitaverit? Aut forsan numquid suffecerit ad salutem hypocrita fidei professio si opera habeat? Ceterum veram fidem non *necessario* produnt opera : sunt etenim qui nonnulla operantur, licet interna fide destituti sint; sicut nec interna vera fides *necessario* producit opera : nam non desunt qui interius credant, et tamen præ infirmitate aut humano timore operari non audeant. — 3° JACOBUS illam fidem laudat : *tu credis quoniam unus est Deus, bene facis* (*v.* 19). Verum potestne laudari hypocrita fidei professio ac simulatio? — 4° Provocat ad exemplum ABRAHÆ, ut ostendat hominem *ex operibus justificari, et non ex fide tantum.* Fides porro ABRAHÆ vera, immo et robustissima erat (cf. Rom. IV. 18). Debuisset ergo juxta CALVINUM *per se solam* ABRAHAMUM justificare : cum tamen ex mente JACOBI absque operibus id factum non fuerit. — 5° Tandem fidem illam, quam *mortuam* vocat, *corpori sine spiritu* (*v.* 26) comparat. Sed tale corpus, quamvis nullius utilitatis esse valeat, utpote omni sensu carens, verum tamen corpus remanet, et omnia quæ ad corpus constituendum necessaria sunt, retinet : ergo et illa fides, quamvis ad salutem non prosit, quia anima quasi destituta est, vera tamen fides dici potest et debet. — Ex his sane certo certius constat fidem illam quam JACOBUS *hominem salvare non posse* asserit, veram et proprie dictam fidem habendam esse, quamvis quidem hominem salvare non possit, quia opera non habens, solitaria remanet et mortua est.

ỳ. 15-17. Si autem frater, et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, [16] dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace, calefacimini et saturamini : non dederitis autem eis, quæ necessaria

ỳ. 15-17. Ἐὰν δὲ ἀδελφὸς ἢ ἀδελφὴ γυμνοὶ ὑπάρχωσι καὶ λειπόμενοι ὦσι τῆς ἐφημέρου τροφῆς, [16] εἴπῃ δέ τις αὐτοῖς ἐξ ὑμῶν Ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ· θερμαίνεσθε καὶ χορτάζεσθε· μὴ δῶτε δὲ αὐτοῖς τὰ ἐπιτήδεια

sunt corpori, quid proderit? [17] Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.

τοῦ σώματος, τί τὸ ὄφελος; [17] Οὕτω καὶ ἡ πίστις, ἐὰν μὴ ἔργα ἔχῃ, νεκρά ἐστι καθ᾽ ἑαυτήν.

Paraphrasis. *Si, exempli causa, frater aut soror vestitu et victu diurno careat, dicat porro aliquis vestrum ipsis : omnia prospera sint vobis; habeatis quo vosipsos vestire ac nutrire possitis : non dederitis autem illis ea quæ corpori tegendo et alendo necessaria sunt, quid, quæso, egentibus proderit vestra hujusmodi compassio? Sic et fides, si sit operum vacua, mortua est utpote solitaria, et nihil quidquam proderit.*

℣. 15-17. *Si autem frater, et soror nudi sint*, cet.) Apostolus propositionem suam exemplo, non absque industria selecto, illustrat. Quemadmodum, ait, egeno minime prodest compassio vestra verbis et votis expressa, si non euretis simul ejus inopiam datis vestris sublevare; sic et fides vestra, si opera conjuncta non habeat, mortua est et nihil vobis prodest. Et hæc est summa comparationis, quæ ultra urgeri non debet.

Particula δὲ est hic *transeuntis*, et argumento ad thesim comprobandam inducendo inservit (cf. Rom. VIII. 28). — Γυμνοι ii etiam dicuntur qui vix aut nonnisi dilaceratis vestibus vestiti sunt. Et sic in præsenti vocem illam intelligendam, ut et Matt. XXV. 36. 38, ipsa rei natura suadet. — Λειπομενοι ad modum prædicati sumendum est et cum verbo ὑπάρχωσι jungendum ! nam illud ὦσι, quod in complutensi editione legitur, ad textum non pertinere videtur. Aliquid porro inusitati in constructione prædicatorum (γυμνοι et λειπομενοι) hujusce phraseos cernitur. Nam ubi duo aut plura Nomina singularis numeri ope particulæ ἢ (*aut*) conjunguntur, ibi commune illorum prædicatum in singulari ponitur ut Matt. XII. 25 (1). — Ἐφημέρος

(1) *Gram. Græc.* §. 57. pag. 386.

(ab επι et ημερα) proprie est *diurnus*, *in diem durans*, ita ut εφημερα τροφη sit *victus ad diem unam necessarius. Quotidianus* vero dicitur καθημερινος (Act. VI. 1).

℣. 16. *dicat autem aliquis ex vobis illis : Ite in pace*, cet.) Particula δε est *continuantis* incœptam similitudinem. — Ex *sensu partitivo* de *toto* ex quo τις ειπων sumitur. — Υπαγετε εν ειρηνη usitata formula est לְכוּ לְשָׁלוֹם qua nempe Hebræi abeuntibus valedicendo fausta precari solebant. — Imperativi *calefacimini* et *saturamini* optativo sensu sumendi sunt : *habeatis quo vos ipsos vestire et satiare possitis*. Θερμαινεσθαι (Med.) est *se calefacere*, sive ad ignem (Marc. XIV. 54. 67), sive vestium ope (Job. XXXI. 20) : et hunc ultimum significatum illi voci in præsenti, propter præcedens γυμνοι, tribuerim. — Χορταζειν proprie de animalibus, quibus pabulum datur, usurpatur. Frequenter tamen, etiam apud classicos, de hominibus cum notione *saturandi* adhibitum occurrit. — Επιτηδειος Græcis primario est *idoneus*, *opportunus*; ac deinde *necessarius*. Τα επιτηδεια του σωματος ea cogita quæ corpori tum alendo, tum tegendo necessaria sunt. — Habetur hic *oratio*, uti dicunt, *variata* : qua nempe fit ut in altero unius sententiæ membro, adhibeatur alia constructionis forma quam quæ adhibita fuerat in priori (1). Cum enim incœperat : ειπη δε τις, pergere debuisset in tertia Persona singulari : μὴ δῷ δε.... Hanc autem variationem scriptoris *industriæ* tribuere non dubitaverim : sic quippe auditores suos magis percellit, et quid singuli eorum præstare debeant, melius innotescit.

quid proderit? τι το οφελος; quamnam, quæso, ex affectuosis quidem sed sterilibus votis tuis utilitatem reportabit egenus? Nullam omnino.

℣. 17. *Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa.*) Allegatæ similitudinis applicatio fit ad fidem quæ opera non habet. — Fides porro *mortua* dicitur, uti jam supra diximus, non quasi vera fides amplius nou sit, quod somniarunt Reformatores, sed quatenus opera non producens, vim nullam exserit ac veluti mortua

(1) *Gram. Græc.* §. 64. pag. 552 sq.

jacet. Eodem prorsus sensu Adjectivum *νεκρος* legitur Rom. VII. 8.

Quid præcise significare voluerit Apostolus per additum illud *καθ' ἑαυτήν*, quod Vulgata vertit *in semetipsa*, non statim liquet. Communis fere interpretum sententia est locutionem hanc valere *per se*, i. e. *seorsim*, *solam*, *solitariam*, ita ut sensus sit : *mortua est fides quæ opera non habet, quia solitaria*. Sane locutio *καθ' ἑαυτον*, quæ in N. T. nonnisi Act. XXVIII. 16 occurrit, hanc notionem ibidem obtinet. Insuper LXX interpretes eam pluries synonymice pro vocabulo *μονῳ* adhibuere : sic Gen. XLIII. 32, postquam לְבַדּוֹ per *μονῳ* vertissent, לְבַדָּם per *καθ' ἑαυτους* statim reddidere. Eodem prorsus sensu locutionem nostram interpres syrus accepit; vertit enim : ܒܠܚܘܕܝܗ q. e. *sola*. Imo et antiquæ Italæ celeberrimus Corbeijensis codex *sola* pariter legit.

ỳ. 18. Sed dicet quis : Tu fidem habes, et ego opera habeo. ostende mihi fidem tuam sine operibus : et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.

ỳ. 18. Ἀλλ' ἐρεῖ τις Σὺ πίστιν ἔχεις, κἀγὼ ἔργα ἔχω· δεῖξόν μοι τὴν πίστιν σου ἐκ [a] τῶν ἔργων σου, κἀγὼ δείξω σοι ἐκ τῶν ἔργων μου τὴν πίστιν μου.

Paraphrasis. *Equidem gloriaris tu quod fidem habeas licet opera non cures; verum poterit aliquis hoc modo derisorie te compellare : tu fidem te habere dicis, ego autem opera habeo. Ostende mihi, quæso, si potes, fidem tuam sine operibus : ego vero ostendam tibi fidem meam ex operibus meis.*

VARIANS LECTIO.

a) Pro præpositione ἐκ quæ in textu Complutensi occurrit, vix dubium esse potest quin legendum sit χωρις cum ABC, et antiquis versionibus plerisque,

maxime latinis et syriaca ([illegible]). Favet porro interna ratio: cum, admissa complutensi lectione, nimis jejuna videatur Apostoli oratio, pereatque nervosa illa antithesis quæ ex altera lectione exsurgit. Addiderim librarii oculum ob insequens ἐκ τῶν ἔργων facillime aberrare potuisse, sicque eadem verba utrobique conscribere.

℣. 18. *Sed dicet quis : Tu fidem habes, et ego opera habeo.*) Si externam modo orationis formam consideraveris, utique Jacobum adversarium quemdam obloquentem introducere facile credideris. Objectiones enim in S. Litteris per hujusmodi formulas induci solent : cf. I Cor. XV. 35; Rom. IX. 19; X. 18. 19. etc. Si vero ipsam Apostoli orationem penitius inspexeris, maximeque scopum ejus perspectum habueris, certe vel prima ipsius verba aliam tibi mentem injicient. Thema siquidem quod Apostolus in hac tota pericopa illustrare intendit hoc est : fides sine operibus mortua est, nec te salvum facere valet. Cui si aliquem contradicentem hic fingeret, hæc procul dubio ipsi verba commodaret : *ego quidem fidem habeo, tu vero opera :* non autem illa : *tu fidem habes, et ego opera habeo.*

Hujus porro sententiæ nexus cum antecedentibus a notione quæ particulæ ἀλλὰ in præsenti tribuenda sit, totus pendet. Putaverim autem ἀλλὰ eamdem prorsus notionem hic obtinere ac Rom. VII. 7. Existimaverim scilicet Jacobum inani illi de fide gloriationi, quam *v.* 14 commemoravit, jam *opponere* quid ex rei veritate huic glorianti unusquisque objicere possit. Novimus aliunde Apostolum, vehementi quodam affectu præoccupatum, artificiosas transitiones non adeo curare solitum. Itaque sensus sit : *equidem gloriaris tu quod fidem habeas, quamvis opera non cures : verum poterit aliquis hoc modo derisorie te compellare : tu fidem te habere dicis, ego autem opera habeo. Ostende mihi, quæso, si potes, fidem tuam sine operibus : ego vero ostendam tibi fidem meam ex operibus meis.* Cum nimirum fides interni quid sit, non potest utique de ipsa hominibus constare, nisi per opera sibi consentanea exterius prodatur. Econtra, ubi adsunt opera externa veræ fidei professioni conformia, hominibus, qui de exterioribus tantum judicant, concludere pronum est ibidem adesse et veram fidem internam. — Itaque non ea est mens Apostoli ut neget veram fidem subsistere posse in eo qui opera non exerceat : sed tantum

asserere intendit ex operum defectu vehementem nasci suspicionem quod et ipsa fides desit.

℣. 19. Tu credis quoniam unus est Deus : bene facis : et dæmones credunt, et contremiscunt.	℣. 19. Σὺ πιστεύεις ὅτι ὁ Θεὸς εἷς ἐστι· καλῶς ποιεῖς· καὶ τὰ δαιμόνια πιστεύουσι καὶ φρίσσουσι.

Paraphrasis. *Utique tu credis quod unus est Deus : et in hoc bene agis ; verum dæmones etiam id credunt, indeque timore perfunduntur.*

℣. 19. *Tu credis quoniam unus est Deus :* cet.) Novum argumentum profert Apostolus ad ostendendum fidem, si opera non habeat, non esse tanti faciendam, cum et dæmones ipsi eam *fere* habeant, nec tamen aliquid commodi sed terrorem tantum exinde reportent. Dico *fere :* quia, uti modo videbimus, magnum certe datur discrimen inter fidem dæmonum et fidem hominis etiam mortuam. Nec ideo perit argumentum : omnis quippe comparatio, eo ipso quod comparatio est, æqualitatem inter membra non supponit. Unum tantum ex præsenti comparatione Apostolus vult eruere, nempe Christianæ Religionis notitiam, cum firmissimo etiam assensu habitam, non esse hujusmodi quæ propria vi et independenter ab omni alio influxu hominem salvare queat.

Tu credis quoniam unus est Deus.) Quædam hic breviter dicenda veniunt de quæstione : an et quatenus Dei existentia fidei divinæ objectum sit. Imprimis enim « hominem, *rationis exercitio fruentem*, hujus facultatis applicatione posse percipere aut etiam demonstrare plures veritates metaphysicas et morales, inter quas existentia Dei.... annumeratur, constanti scholarum catholicarum doctrina compertum est (1). » Et hoc sensu asseruerit D. Th. 1. q. 2. a. 2 ad 1 : quod Deum esse, non sit articulus fidei, sed præambulum ad articulos.

(1) Conc. Ambianensis, an. 1853 habiti, cap. XVI. III. de Philosophia.

Attamen nemini dubium esse potest quin non sufficiat homini ad salutem, divinam existentiam ex argumentis naturalibus, quantavis cum certitudine, cognovisse; sed debeat veritas illa, ut salutaris sit ipsius cognitio, fide diviua supernaturali teneri, dicente Apostolo: *sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (Heb. XI. 6). Ideoque in, symbolo fidei primum ponitur : *credo in unum Deum.*

Qua porro ratione veritas illa naturalis objectum fidei supernaturalis sit, optime tradit D. TH. 2. 2. q. 2. a. 4. « Dicendum, ait, quod necessarium est homini accipere per modum fidei non solum ea, quæ sunt supra rationem : sed etiam ea, quæ per rationem cognosci possunt. Et hoc propter tria : primo quidem, ut *citius* homo ad veritatis divinæ cognitionem perveniat. Scientia enim ad quam pertinet probare Deum esse et alia hujusmodi de Deo, ultimo hominibus addiscenda proponitur præsuppositis multis aliis scientiis. Et sic nonnisi post multum tempus vitæ suæ homo ad Dei cognitionem perveniret. Secundo, ut cognitio Dei sit *communior*. Multi enim in studio scientiæ proficere non possunt, vel propter hebetudinem ingenii, vel propter alias occupationes et necessitates temporalis vitæ, vel etiam propter torporem addiscendi, qui omnino Dei cognitione fraudarentur nisi proponerentur eis divina per modum fidei. Tertio modo propter *certitudinem*. Ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens. Cujus signum est, quia Philosophi de rebus humanis naturali investigatione perscrutantes in multis erraverunt, et sibiipsis contraria senserunt. Ut ergo esset indubitata et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina eis per modum fidei traderentur quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest. »

bene facis.) Valet igitur præsens locus ad catholicum dogma firmandum adversus placita novatorum, qui asserere non dubitarunt, opera omnia quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata. Quibus anathema dixit Conc. Trid. sess. VI. *de justif.* can. 7.

et dæmones credunt, et contremiscunt.) i. e. *dæmones etiam* (καὶ) *credunt, indeque timore perfunduntur.* « *Contremiscere* dicuntur

dæmones, ait ESTIUS ad h. l., *metaphorice*, ut et angeli boni juxta illud ecclesiasticum, *tremunt potestates;* diverso tamen sensu. Nam bonorum angelorum tremor aliud non est, quam reverentia, quam in amante parit consideratio majestatis ejus, quem amat : Dæmonum autem tremor, verus ac vehemens timor est, quo refugiunt eum, quem certissimum ac severissimum judicem exspectant. »

Quid de dæmonum fide sentiendum sit, recte exponit ESTIUS *in lib. III. Sent. Dist.* 23. §. 5; cujus ideo verba hic exscribere non absque pretio fore duximus. « Cum dæmones, ait, subtilitate suæ naturæ et perspicacitate ingenii videant dogmata religionis nostræ non repugnare veritati sibi naturaliter cognitæ, videantque eadem confirmari miraculis naturæ facultatem ipsis probe perspectam excedentibus; experiantur denique virtute Christianæ doctrinæ plurimos e suo regno et potestate eripi; atque his similibusque argumentis adducti et convicti cogantur fateri verissimam esse Religionis Christianæ doctrinam; cum nulla sit alioqui in iis erga veritatem divinam spontanea voluntatis submissio atque obedientia, non potest illorum de rebus divinis assensus proprie fides appellari; sed certa quædam cognitio per experientiam, et rerum vel signorum evidentiam extorta... Quamvis ergo dæmones firmitatem assensus, in multis religionis articulis nobiscum habeant communem, quem assensum Patres JACOBUM Apostolum secuti, sæpe fidei nomine generaliter expresserunt : quia tamen assensus ille neque principaliter innititur veritati primæ, sed rationi creatæ; neque conjunctam habet voluntatis inclinationem, sed rebellionem potius, qua cuperent falsum esse quod verum fateri coguntur, hinc fidei Theologicæ nomine censeri non potest. » Hucusque ESTIUS.

Præclarus est præsens JACOBI locus ad firmandum catholicum dogma de dæmonum existentia.

℣. 20-24. Vis autem scire o homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est? [21] Abraham pater noster nonne ex operibus jus-

℣. 20-24. Θέλεις δὲ γνῶναι, ὦ ἄνθρωπε κενὲ, ὅτι ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστιν; [21] Ἀβραὰμ, ὁ πατὴρ ἡμῶν, οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἀνε-

tificatus est, offerens Isaac
filium suum super altare?
[22] Vides quoniam fides coo-
perabatur operibus illius :
et ex operibus fides con-
summata est? [23] Et suppleta
est Scriptura, dicens : Cre-
didit Abraham Deo, et re-
putatum est illi ad justitiam,
et amicus Dei appellatus est.
[24] Videtis quoniam ex ope-
ribus justificatur homo, et
non ex fide tantum?

νέγκας Ἰσαὰκ τὸν υἱὸν αὐτοῦ
ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον; [22] Βλέπεις
ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις
αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίσ-
τις ἐτελειώθη; [23] καὶ ἐπληρώθη
ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα Ἐπίστευσε
δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλο-
γίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην,
καὶ φίλος Θεοῦ ἐκλήθη. [24] Ὁρᾶ-
τε τοίνυν [a] ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦ-
ται ἄνθρωπος καὶ οὐκ ἐκ πίσ-
τεως μόνον;

PARAPHRASIS. *Vis porro, o homo de inani fide inaniter glorians, ex Scripturis ipsis addiscere quod fides absque operibus mortua sit? Abraham pater noster secundum carnem et justificationis nostræ exemplar, nonne ex operibus justitiam accepit, quum nempe Isaac filium suum super altare Deo obtulisset? Videsne et fidem operibus ejus cooperatam esse, et vicissim ex operibus fidem perfectam fuisse? Sicque suppleta est Scriptura illa quæ dicit : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam; et amicus Dei singularis effectus est. Videtisne ex operibus justificari hominem et non ex fide tantum?*

VARIANS LECTIO.

a) Particulam hanc cum Vulgata omittunt ABC, minusculi multi, omnesque fere antiquæ versiones. THEOPHYLACTUS pariter eam non legit.

ỳ. 20. *Vis autem scire o homo inanis*, cet.) « Quoniam PAULUS apostolus prædicans justificari hominem per fidem sine operibus, non bene intellectus est ab eis qui sic acceperunt dictum, ut putarent, cum semel in CHRISTUM credidissent, etiamsi male operarentur, et facinorose flagitioseque viverent, salvos se esse posse per fidem : locus iste hujus epistolæ eumdem sensum PAULI apostoli, quomodo sit intelligendus, exponit. Ideoque magis ABRAHÆ utitur exemplo, vacuam esse fidem si non bene operetur, quoniam ABRAHÆ exemplo etiam PAULUS apostolus usus est (*Rom. IV.* 2. 3) ut probaret justificari hominem per fidem sine operibus legis. » Hæc AUGUSTINUS (1).

Itaque thesim suam, *fidem sine operibus mortuam esse*, exemplis ABRAHÆ et RAHAB jam confirmaturus, quo magis auditorum attentionem provocet, per vividam interrogationem, more suo, rem aggreditur. Ad enunciandum vero novum hoc argumentum, per particulam δὲ iterum *transit*. — Κενος, qui proprie est *vacuus, inanis*, talem in præsenti loco hominem designare videtur, qui, *cum operum sit vacuus, de nuda fide gloriatur* (2).

ỳ. 21. *Abraham pater noster nonne ex operibus justificatus est*, cet.) Argumentatur Apostolus *a contrario : fidem* scilicet *sine operibus esse mortuam* ex eo conficit, quod ABRAHAM *non ex fide tantum sed et ex operibus* justificationem hauserit. Noverint autem Judæi se habere in ABRAHAMO veluti formam suæ justificationis : quod et PAULUS Rom IV. 11-12, 23, et Gal. III. 6-9 diserte tradit.

Porro quin de *justificatione* quam Theologi *secundam* vocant, et quæ in incremento ipsius justitiæ per CHRISTI gratiam acceptæ consistit, præsens locus intelligendus sit, vix dubitari posse putaverim. Et quidem, præter auctoritatem AUGUSTINI (l. c.) et PATRUM TRIDENTINORUM qui, *Sess. VI de justif. cap. X*, Apostoli verba hoc sensu interpretati sunt, ipsa contexta oratio id omnino suadet. Agitur enim

(1) *De div. quæst. LXXXIII. lib. un. Quæst. LXXVI.* n. 1.

(2) OEcumoenius ad h. l. : *κενὸν ἐκάλεσεν ἄνθρωπον τὸν ψιλῇ τῇ πίστει αὐχοῦντα, μηδὲν τῆς διὰ τῶν ἔργων ὑποστάσεως κεκτημένον εἰς πλήρωσιν·* h. e. *inanem vocavit hominem, qui, nuda fide glorians, nihil ejus, quæ per opera est, subsistentiæ nactus est ad completionem.*

de illa justificatione quam adeptus est ABRAHAM quando *fide obtulit Isaac* : jam vero, ABRAHAMUM multo ante tempore quam eximium illud fidei et obedientiæ documentum præstitisset, coram Deo justificatum fuisse, non obscure tradit PAULUS (Heb. XI. 8. sqq.) scribens : *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem : et exiit, nesciens quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena.... Expectabat enim fundamenta habentem civitatem : cujus artifex et conditor Deus.* Idem exinde pariter eruitur quod jampridem de ipso dictum fuerat : *credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (Gen. XV. 6). Addiderim ipsum Apostoli scopum hanc quam defendimus interpretationem suadere. Quid enim in præsenti loco sibi velit JACOBUS, nisi, uti modo ex AUGUSTINO audiebamus, illos erudire *qui putarent, cum semel in Christum credidissent, etiamsi male operarentur, et facinorose flagitioseque viverent, salvos se esse posse per fidem?* Ideoque ipsos, ABRAHÆ exemplo proposito, edocet quid præstare debeant ad justitiam per fidem semel acceptam conservandam ac perficiendam. Quo sensu verbum δικαιωθῆναι legitur Apocal. XXII. 11.

Novatores, maximeque CALVINUS, cum principio suo constantes, hanc ABRAHÆ ex operibus justificationem de mera declaratione justitiæ intelligunt. Quoniam, dicunt, ex operibus ab ABRAHAMO præstitis, manifestum evasit ipsum *veram* habuisse fidem, hinc declaratus est justus, utpote justitiam per *veram fidem* unice adeptus. Verum quam inane sit hujusmodi commentum, ipsemet JACOBUS demonstrat. Etenim *v.* 24 docet *ex operibus justificari hominem, et non ex fide tantum.* Atqui fides, fatentibus ipsis adversariis, non ad justitiæ declarationem sed ad ipsius collationem confert; ergo pariter opera. Immo, *v.* 22 tradit Apostolus fidem ABRAHÆ ex ipsius operibus consummatam fuisse : unde patet opera, ex mente JACOBI, non meræ declarationi justitiæ jam acceptæ, sed et ipsius incremento ac perfectioni inservire.

offerens Isaac filium suum super altare?) Ad hoc peculiare ABRAHÆ factum JACOBUS provocat, utpote præclarissimum atque Judæis notissimum fidei et obedientiæ sancti Patriarchæ documentum, ex quo insigne quoddam præmium reportaverat. Tunc enim audire meruit : *per memetipsum juravi, dicit Dominus; quia fecisti*

hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me : benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ (Gen. XXII. 16 sqq.).

Pro latino *offerens*, in græco est participium Aoristi *ἀνενέγκας*, quod ideo vel per Ablativum, uti dicunt, *absolutum*, reddendum erat, vel in verbum Finitum, adhibita conjunctione *quum* (quia), resolvendum. — Ἀναφερειν quod proprie est *sursum ferre*, *sursum ducere*, (Matt. XVII. 1), in præsenti loco, ut et Heb. VII. 27, refert hebraicum הֶעֱלָה (forma *hiktil* a עָלָה) in dictione הֶעֱלָה עוֹלוֹת *holocausta obtulit*.

ỷ. 22. *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius,* cet.) Doctrinam ex illo ABRAHÆ exemplo accipiendam diserte tradit Apostolus, ut auditores sui ipsam alta in mente repositam habeant. Docet itaque, et fidem *coöperatam* esse (συνηργει) operibus ABRAHÆ, quippe quæ sine ipsa salutaria esse nequivissent; et vicissim ex operibus fidem, quæ sine ipsis mortua fuisset nec eum salvare potuisset, *consummatam* et *perfectam* fuisse. Vult igitur, ut monet ESTIUS ad h. l., « innuere societatem quamdam individuam inter fidem et opera; ut sicut fides sine operibus esse non debet, ita nec opera sine fide : tametsi partes fidei potiores sunt, utpote dirigentis, et imperantis. »

et ex operibus fides consummata est.) Ετελειωθη, *perfecta est*, *absoluta est;* non quod antea fides vera non fuerit; quod enim nondum est, perfici non valet : sed quod fides ABRAHÆ perfectior Deoque gratior evaserit *per charitatem operando*. Ideoque insigne præmium reportare meruit.

ỷ. 23. *Et suppleta est Scriptura, dicens : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.*) Quia PAULUS *Rom. IV*. 3 hoc ipsum scripturæ effatum usurpaverat ad probandum ABRAHAM *non ex operibus sed ex fide justificatum* fuisse; ideo JACOBUS, qui id quod a PAULO obscurius dictum videri poterat, clarius exponere, et id quod ab ipso, utpote extra Paulinam thesim positum, omissum fuerat, supplere intendebat, quo sensu hæc scriptura intelligi deberet, auditores suos edocere voluit.

Verba porro quæ hic allegantur desumpta sunt ex Genes. cap. XV. 6; recitantur autem juxta versionem septuaginta-viralem, quæ textus hebraici *sensum* exprimit. Hebraice enim legitur : וְהֶאֱמִן בַּיהוָה וַיַּחְשְׁבֶהָ לּוֹ צְדָקָה h. e. *et credidit Deo, et reputavit* (Deus) *illud* (credere) *ipsi justitiam.* — Ελογισθη grammatice quidem dictum est *impersonaliter;* logicum tamen ejus verbi *subjectum* in antecedente επιστευσε continetur. Λογιζεσθαι (Depon. med.) autem verbum est Denominativum, a λογος (*computatio*) ductum, quod primario de arithmeticis *plures numeros in unum redigentibus* dicitur, mox vero *in rationes referre, imputare*, simpliciter valet. — Præpositio εις sumenda hic est, ut 1 Cor. XI. 17. *de effectu* divinæ illius imputationis.

Jam vero quonam sensu præsens effatum a Mose prolatum fuerit, definire non adeo facile est. Et quidem verba *reputatum est ad justitiam* per se ad unam justificationem significandam coarctari non videntur. Sane 1 Mach. II. 52 incrementum justitiæ designant. Quod si contextam orationem *Gen. XV*, ubi prolata sunt verba *credidit Abraham* etc., inspexeris, utique facilior et contextui multo magis consentanea tibi videbitur interpretatio quæ verba illa de *secunda Abrahæ justificatione* dicta intelligit. Nemini enim dubium esse potest Abrahamum multo ante tempore quam relata in prædicto capite apparitione dignaretur, justificationis gratiam adeptum fuisse.

Si tamen ad rationem qua Paulus *Rom. IV.* 3 ex laudato textu argumentatur debite attendatur, non amplius video quomodo Geneseos verba ad *primam Abrahæ justificationem* non referri possint. Quod ut rite perspiciatur, præ oculis habeamus necesse est scopum quem Paulus in epistola sua ad Romanos conscribenda sibi præstituit. Volens igitur redarguere Romanos, tam Judæo-Christianos quam Ethnico-Christianos, qui justificationis gratiam non gratuitæ Dei misericordiæ, sed suis suæque gentis meritis perperam adscribebant, totus in eo est Apostolus ut osteudat justificationem esse donum Dei, illudque homini *gratis* obtingere *per fidem*, non vero ex ullo operum merito. Ad hanc vero thesim stabiliendam, declarat primum et probat tam Judæos quam Gentiles peccatores fuisse, ac proinde eos, qui justificationis gratiam consecuti fuerant, ipsam operum suorum merito nullo pacto deputare posse. Deinde thesim suam ex ipsis scripturis confirmare volens, provocat ad exemplum Abrahæ, quem prædicat exemplar fuisse ac veluti patrem eorum omnium qui credituri erant

et justificandi (IV. 11. 12.). ABRAHAMUM porro *non ex præcedentium operum merito* sed *ex fide justificatum fuisse*, deducit ex prælaudato Geneseos testimonio : *credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam* (IV. 3.).

Jam vero interpretes et theologi qui verba MOSIS de *secunda Abrahæ justificatione* intelligenda opinantur, et quidem nec pauci sunt nec infimi subsellii, PAULUM a *minori ad majus* argumentari censent. Dicunt nimirum cum BELLARMINO, *de justif.* l. IV. c. XVIII, Apostoli ratiocinium huc reduci : si ABRAHAM justus, non est factus justior ex operibus sine fide, multo magis impius non poterit fieri justus ex operibus sine fide.

Verum hæc interpretatio quæ, si vera esset, commoditate non careret, quominus admittatur duo maxime prohibere videntur. Unum est, quod ex ea multum efficaciæ Paulinæ argumentationi detrahatur. Poterant enim Romani argumentum hoc modo retorquere : utique fides ad justificationem ABRAHÆ secundam necessaria fuit; sed opera non minus necessaria fuere : ergo et a fortiori opera ad justificationem primam requiruntur. Quæ illatio, rite intellecta, vera quidem est : illam tamen tunc temporis tacere merito volebat Apostolus : cavendum enim erat ne Romanis, doctrinam hanc perverse intelligentibus, ulla in errore permanendi ansa præberetur. — Immo longius progredi poterant Romani, ut scite animadvertit Card. TOLETUS (1), « et dicere, postquam operibus justificatus est, ABRAHAM fide etiam auxisse justitiam, non tamen fidem ipsam præcipuam, et primam justitiam esse. » Et sic infirmior fuisset ratiocinatio PAULI.

Alterum autem quod prædictæ interpretationis patronis majus adhuc negotium facessit, et a quo qui se expedire valeant non video, hoc est, quod PAULUS illud *reputatum est* ita interpretetur, ut ad *justificationem primam* necessario coarctandum sit. Hanc enim argumentationem prælaudatis verbis subjungit (cap. IV. 4. 5) : *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.* Quorum verborum sensum sequenti paraphrasi aperit ill. BEELEN (ad h. l.) : *Jam vero laboranti merces non impu-*

(1) *In epist. ad Rom. comment. et annot.* Ad cap. IV. annot. V.

tatur ex gratia, sed rependitur ex debito. Illi autem (Abrahæ) non operanti sed tantum credenti in eum qui justificat impium, fides ejus imputatur ad justitiam; is ergo gratis justificatur. Verum si verba Geneseos de secunda justificatione simpliciter intelligenda forent, ex ipsis ita argumentari PAULO nequaquam liceret. Ipse enim fidei actus, a viro justo, gratia adjuvante, elicitus, qualis fuit assensus ab ABRAHAMO verbo Dei præstitus (Gen. XV. 6), revera est opus meritorium, cui incrementum justitiæ rependitur non ex gratia tantum, sed etiam ut *merces* (1). — Ceterum eadem Geneseos verba de prima justificatione iterum intelligit PAULUS *ad Gal. III.* 6.

Itaque verba illa MOSIS : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*, ad primam ABRAHÆ justificationem esse referenda non dubitaverim. Equidem objiciet aliquis, nec immerito : si verba Geneseos ad primam ABRAHÆ justificationem referenda sint, ad quid MOSES ea tandem protulerit cum jam a multo tempore ABRAHAM justificatus esset; immo elicito statim actu fidei, incrementi justitiæ meritorio?

Objectionem hanc difficultate non carere fateor, ipsamque decretorio modo solvi non posse facile existimaverim. Ceterum hujusmodi solutionem in re tam ardua, urgentibus utrimque difficultatibus, immerito exigere quisque videretur : eo vel magis quod, ubi de auctoribus sacris inter se componendis agitur, probabilibus rationibus contenti esse debeamus. Itaque cum Card. TOLETO (*in epist. ad Rom.* l. c.) responderim : « Sententiam hanc a MOYSE prolatam, *credidit Abraham Deo, et reputatum est ei in justitiam*, non esse referendam tantum ad promissionem tunc a Deo illi factam : sed ad omnia præcedentia simul. Cum enim jam multa de ABRAHAM, et de promissionibus a Deo factis, et de operibus ipsius ABRAHÆ narrasset, ne quis Deo gratum esse, aut justitiam apud Deum habuisse ex operibus arbitratus esset : declaravit MOYSES unde fuerit apud Deum justificatus, et ex peccatore et impio Deo reconciliatus : ex fide, inquit, quia *credidit Abraham Deo, et reputatum est illi in justitiam.* Merito autem non statim MOYSES id dixit, quando primo credidit ABRAHAM, sed narravit prius præter fidem opera multa insignia; et tunc protulit fide justificatum. Sic enim manifestum faciebat, non operum virtute, sed fide justificatum esse coram Deo, quia *credidit, et id reputatum est ei in justitiam.* Verba

(1) Conc. Trid. *Sess. VI. de justif.* can. XXIV.

ergo de prima justificatione intelligenda sunt; sed non sunt referenda ad solam promissionem immediate præcedentem, sed ad omnia præcedentia, per quæ expressit MOYSES, narratis operibus ABRAHÆ et fide, non ex operibus, sed ex fide justificatum, nec præcessisse opera, sed fidem, per quam sunt postea opera facta. » Hucusque TOLETUS.

Voluerit autem MOSES illud eo potius (Gen. XV. 6) quam alio loco significare, occasione scilicet accepta a præstantissimo illo fidei actu quo ABRAHAM *contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum : et emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia : sed confortatus est fide, dans gloriam Deo : plenissime sciens quia quæcumque promisit, potens est et facere* (Rom. IV. 18 sqq.). Nec improbabilis apparet conjectura THOMÆ ANGLICI (1) dicentis : « Secunda causa est, quia in subsequenti apparitione Dei, ABRAM circumcisus est. Voluit autem ostendere divina scriptura, ABRAM justificatum esse per fidem, et non per corporalem circumcisionem; eoque palam fieret, semen ejus similiter quoque justificatum iri; nec quicquam per se profuturam circumcisionem, sed propter fidem tantum quæ in ipsa *sacramentaliter* includebatur. »

Itaque dum JACOBUS scribit : *et suppleta est Scriptura, dicens : credidit* etc., auditores suos admonet, ne forsan existiment solam prædictam scripturam de *totali Abrahæ justificatione* audiendam esse. Ipsam quippe *suppletam fuisse* per narrationem operum quæ præstitit ABRAHAM postquam credidisset, et quibus justitiam, per fidem primum acceptam, conservavit mirumque in modum auxit. — Ἐπληρώθη scitissime ab interprete nostro hic redditum est per *suppleta est :* quam notionem verbum istud Matt. XXIII. 32 pariter obtinet.

et amicus Dei appellatus est.) Non sunt amplius Geneseos verba, sed ipsius JACOBI, qui tamen procul dubio in mente habuerit illud Judith VIII. 22 : *Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, et per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est.* Amicitiam autem non eam intelligit qua homo cum

(1) Ap. PERERIUS, *Comment. et disput. in Genesim*, ad cap. XV. v. 6. Disput. II.

justificatur *ex inimico amicus* Dei evadit, et quæ omnibus justis communis est; sed specialiorem quamdam quæ sanctioribus et a Deo probatis viris tantum competit, et in peculiaribus prorsus divini favoris documentis maxime consistit. — Εκληθη non indicat ABRAHAMUM *amici Dei* appellationem alicubi sortitum fuisse; sed ipsum revera singularem Dei amicum *effectum* esse. Quo sensu verbum *καλοῦμαι* Heb. V. 4, et 1 Joh. III. 1 occurrit.

℣. 24. *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum?*) Apostolus quo magis doctrinam suam inculcet, et omnem falsum intellectum præcaveat, *conclusionem* ex ABRAHÆ exemplo eruendam, quam *v.* 22 aliquo modo jam expresserat, disertius ac vividius, adhibita interrogatione, hic iterum proponit.

℣. 25. Similiter et Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est suscipiens nuncios, et alia via ejiciens?

℣. 25. Ὁμοίως δὲ καὶ Ῥαὰβ ἡ πόρνη οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ὑποδεξαμένη τοὺς ἀγγέλους καὶ ἑτέρᾳ ὁδῷ ἐκβαλοῦσα;

PARAPHRASIS. *Immo, Rahab meretrix nonne et ipsa haud sine operibus justificationis gratiam primum adepta est, nunciis nempe hospitio benigne susceptis atque alia via secure dimissis?*

℣. 25. *Similiter et Rahab meretrix, nonne ex operibus justificata est* cet.) Apostolus, ABRAHÆ exemplo usus, hucusque probavit opera bona ad justitiam ex fide acceptam conservandam et augendam necessaria esse. Nunc vero ulterius progreditur, et opera vel ad primam justitiam obtinendam requiri, altero notissimo exemplo docet. Ad quod producendum transit per particulam δε, quæ in præsenti loco ita *transitioni* inservit ut simul aliquid novi superinducat (1) : quo sensu vocula hæc Act. XIII. 34 legitur.

Non desunt quidem interpretes qui exemplum RAHAB, non secus ac

(1) De qua particulæ δε notione videsis HERMANNUM *ad Vigerum*, pag. 845.

illud ABRAHÆ, ad justificationem secundam pertinere arbitrentur. Dicunt nimirum RAHAB tunc primum justificationis gratiam adeptam esse cum, auditis prodigiis a Domino Hebræorum patratis, credidit quod *ipse esset Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum* (Jos. II. 10. 11); hanc porro gratiam speciali modo auxisse, opera misericordiæ erga speculatores a JOSUE missos *fide* exhibendo. Verum quo pacto hæc sententia defendi queat, iterum non video. RAHAB enim, ut ex *Josue II.* 1 patet, *meretrix* erat quando nuntios hospitio suscepit : ergo in peccato adhuc erat, ac proinde nondum justificata. Atque hanc sententiam diserte tradunt omnes fere Patres quos in *nota* subjicimus.

Equidem novi non defuisse qui, ad hanc difficultatem elevandam, RAHAB *cauponam* quidem, nequaquam vero *meretricem* fuisse contenderent. Dicunt scilicet, quorumdam Rabbinorum auctoritate nixi, hebraicum זוֹנָה (quod in textu habetur) *meretricem* denotare quando derivatur a radice זָנָה; sed eamdem vocem haberi posse pro derivato a radice זוּן, quod est *cibare*, et tunc ipsam nil aliud quam *cauponam* seu *hospitam* designare prætendunt. Sed conjecturam suam aliquo argumento sive ex usu loquendi, sive ex antiquis versionibus, si paraphrasim chaldaicam excipias, petito, firmare nondum potuerunt.

Nec intelligo quomodo huic sententiæ viri catholici subscribere potuerint. PAULUS enim (Heb. XI. 31) et JACOBUS RAHAB *meretricem* (την πορνην) diserte vocarunt : quæ si *caupona* tantum et non *meretrix* fuisset, *errorem facti* admisissent auctores sacri : quod sane *inspirationis* notio non patitur. Quod autem asserit SCHLEUSNER ad h. v., vocabulum πορνην in N. T. hunc significatum obtinere ut *cauponam* seu *hospitam* designet, hoc merum commentum est nullo lexicographorum testimonio nixum. Ceterum quo fine tunc hujusce qualitatis meminissent PAULUS et JACOBUS? — Addiderim tandem non aliam fuisse SS. Patrum mentem, qui magno consensu mulierem hanc meretricio deditam fuisse tradiderunt (1).

(1) Cf. S. CLEMENS ROMANUS, *epist. I. ad Cor.* cap. XII. Opp. tom. I. col. 231. Ed. Migne. — S. IRENÆUS, *contra hær.* lib. IV. cap. XX. pag. 257. — ORIGENES, *in lib. Jesu Nave*, hom. III. n. 3, 4. Opp. tom. II. pag. 403. — S. EPHREM, *Comment. in Josue*, ad cap. II. 1. Opp. tom. I. syriace et latine, pag. 293. — S. GREGORIUS NAZIANZENUS, *Orat. XL.* n. XIX. pag. 705. Ed. Bened. — S. CHRYSOSTOMUS, *de pœnitentia*, hom. VII. n. 5. — THEODORETUS, *in epist. ad Heb.* ad cap. XI. 31. —

nonne ex operibus justificata est suscipiens nuncios, et alia via ejiciens?) Itaque primam hujus mulieris justificationem intelligit Apostolus : quam operibus adscribit non ut *causæ meritoriæ*, quum et ipse hominem absque ullo præcedenti merito, *ex gratuita Dei benignitate* justificari supra (cap. I. 18) prædicaverit; sed ut *dispositioni* fidem concomitanti, ac prorsus necessariæ ut fides non sit mortua sed salvifica evadat. Nec de quibusvis operibus loquitur Jacobus, sed de iis dumtaxat quæ *ex fide* eliciuntur. Fidem autem in præsenti loco non commemorat, quia noverat auditores suos optime perspectum habere opera misericordiæ ab illa muliere præstita, ex sola fide ortum duxisse. *Cf.* Heb. XI. 31.

Pro *suscipiens* et *ejiciens*, in græco iterum occurrunt, ut *v.* 21, Participia Aoristi. — Ἐκβάλλειν hic non valet *ejicere*, sed *dimittere*, ut Matt. IX. 25; Marc. I. 12. — *Dimisit* igitur Rahab exploratores *via alia* quam qua venerant et ituri putabantur. Etenim *demisit eos per funem de fenestra : domus enim ejus hærebat muro* (civitatis). *Dixitque ad eos : ad montana conscendite, ne forte occurrant vobis revertentes* (ii nempe qui jussu regis Jerichuntini ipsos persequebantur) : *ibique latitate tribus diebus, donec redeant, et sic ibitis per viam vestram* (Jos. II. 15. 16).

℣. 26. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.

℣. 26. Ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστιν, οὕτω καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι.

Paraphrasis. *Quemadmodum enim corpus sine spiritu mortuum est : ita et fides cui desunt opera mortua est.*

℣. 26. *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et fides sine operibus mortua est.*) *Concludit* jam Apostolus, doc-

S. Ambrosius, *exposit. Evang. sec. Luc.* lib. VIII. n. 40; *de Virginibus*, lib. II. cap. IV. n. 24. Opp. tom. I. pag. 1480, et tom. II. pag. 168. — S. Augustinus, *contra mendacium*, n. 32, 34. — S. Hieronymus, *comment. in Osee proph.*, in prologo. — S. Petrus Damianus, lib. VI. epist. V. Opp. tom. I. col. 380. Ed. Migne.

trinæ, quam inde a vers. 14 tradidit, rationem iterum reddendo (γαρ), idque aptissima adhibita comparatione. Fides operibus destituta hominem salvare non potest, ait; quia sicut corpus, spiritu privatum, licet verum et proprie dictum corpus remaneat, attamen vim suam exerere nequaquam valet sed est mortuum : ita et fides, quantumvis vera et firma, si destituta sit operibus illis (τῶν ἔργων) quæ producere debet, mortua est, nec hominem ad salutem perducere valet.

Si ea quæ hucusque ad doctrinam Jacobi explanandam et illustrandam scripsimus recte disputata sunt, liquet triplicem ex mente Apostoli fidem distingui posse. Prima ea est quam *mortuam* vocat, quamque hominem *salvare non posse*, immo nil quidquam *prodesse* asseverat (*vv.* 14. 17); quippe quæ vim suam exerere non sinitur, atque proinde hominem in statu justitiæ et salutis constituere nequidem *secundum inchoationem* sufficit. Comparari scilicet potest radici jam aridæ, quæ nullum arbori succum subministrat, et quasi inutilis facta est. Hæc est fides quæ strictissimo sensu *informis* nuncupari potest; non quasi *forma sua intrinseca* et *essentiali* careret, tunc enim non amplius fides dici posset; sed quatenus *extrinseca illa forma charitatis*, quæ ipsam adornet et perficiat ac plane salvificam reddat, destituitur.

Altera vero fides ea est quæ in homine justo reperitur : quæ scilicet vitam et energiam suam perfectissime exerit, operibus justis incessanter cooperando, e quibus vicissim ipsamet augetur, ac in dies magis magisque perficitur. Hæc est fides quam Jacobus in Abrahamo laudat (*v.* 22), quamque Theologi *vivam* seu *formatam* appellare consueverunt, quatenus nempe et charitate, et operibus a fide et charitate simul imperatis, perficitur et formatur, non minus quam arbor fructu suo quem profert in tempore opportuno. Ipsa porro haud immerito comparatur radici non tantum viventi, sed et continuo crescenti ac frondes, flores atque fructus uberrimos producenti.

Verum et tertiam fidem Jacobus agnovit, quæ licet *formata* stricte dici non valeat, utpote cum charitate et perfectis operibus nondum conjuncta, *otiosa* tamen et *mortua* reputari non potest. Fidem intelligo quæ Rahab *meretricem* ad speculatores populi Dei benigne

suscipiendos et morti subtrahendos impulit, eamque per illud opus misericordiæ ad infusionem justitiæ *disposuit.* Eadem pariter invenitur in fideli peccatore qui vita gratiæ non amplius vivit; ad quam tamen recuperandam fides illa, varia opera pœnitentiæ imperando, ipsum *disponit.* Comparari itaque potest radici autumnali quæ, licet fructibus suis nondum ornetur et quasi mortua appareat, non omni tamen penitus vita destituitur, sed succum et humorem quemdam præstat, quo arbor adhuc alitur et sustentatur, sicque ad fructus suos tandem proferendos disponitur.

Ex iis porro quæ hactenus disputavimus liquet quo jure scripserit CALVINUS : « Et sane perversa hujus loci expositio tritam illam apud sophistas distinctionem peperit fidei informis et formatæ. Atqui, nihil tale JACOBUS cogitavit. » Cf. supra pag. 132.



EXCURSUS

DE OPERUM NECESSITATE.

In quo doctrina Jacobi vindicatur, atque a Paulina doctrina nequaquam differre ostenditur.

Explanata jam exegetica quæstione, dogmatica controversia solvenda nobis remanet. JACOBUM quippe operum necessitatem ad hominis justificationem propugnare, ex iis quæ modo disputavimus manifestissimum est. PAULUM vero in quibusdam epistolarum suarum, maxime *ad Romanos* et *ad Galatas*, obscurioribus locis, justificationem nostram ita fidei adscribere ut opera ab ipsa penitus excludere videatur, negari non potest. Hanc porro in speciem antinomiam, quam diligentior inquisitio facile dissolvit, LUTHERUS, qui JACOBI epistolam, principio suo fundamentali aperte repugnantem, rejiciendi occasionem indefesso labore inquirebat, lætabundus suscepit : ipsamque adeo exaggeravit ut epistolam hanc, utpote Paulinæ doctrinæ e diametro adversantem, e sacro canone expungendam edicere non dubitaverit.

Ad hanc igitur calumniam diluendam, simulque ad principium Pseudo-reformationis palmare evertendum, præsentem excursum confecimus : et eo quidem libentius, quod iterum nobis non deesset occasio Rationalistas profligandi, quippe qui asserere ausi fuerint, doctrinam de necessitate operum ad humanam salutem vix ante *medium*

ævum obtinuisse (1). Qui tamen si vel AUGUSTINUM (2) legissent, jam ætate apostolica controversiam hac de re excitatam fuisse comperissent, atque epistolas PETRI, JOHANNIS, JACOBI et JUDÆ contra errorem asserentium fidem sine operibus sufficere ad salutem, intentionem maxime dirigere audivissent.

Ut autem disputatio nostra rite procedat, sequentem ordinem servabimus. Exposita prius JACOBI doctrina de fide et operibus in ordine ad justificationem, doctrinam PAULI, prout ex variis ejus scriptis manifestatur, proferemus. Quo statuto, quid hac de re tradiderint ceteri auctores sacri inquiremus. Dein, quomodo primitivæ ecclesiæ Patres doctrinam hanc intellexerint, investigabimus. Tum, loca PAULI quæ non tantum JACOBO, sed et reliquis Scripturis negotium facessere videntur, explicabimus; atque tandem concludemus, miram prorsus catholicæ doctrinæ cum doctrina tum Scripturarum tum SS. Patrum concordiam ostendendo.

I. Doctrina porro JACOBI de toto justificationis opere ad sequentia reduci potest. Homo gratuita Dei benignitate, absque ullo præcedente merito, justificationis gratiam adipiscitur (cf. ea quæ scripsimus ad cap. I. 18).—Huic tamen justitiæ infusioni, *fidem* tamquam conditionem præviam requiri, haud obscure ibidem innuit : *genuit nos verbo veritatis.* — Fides autem illa non potest esse *otiosa*, *mortua* : hujusmodi enim hominem salvare non potest (cap. II. 14. 17. 26); sed opera præstet necesse est, quemadmodum RAHAB, exemplo suo præeundo, nos edocuit (cap. II. 25). — Nec tandem homo semel justificatus in sola fide quiescere potest, sed oportet ut fides cooperetur operibus

(1) Ita WEGSCHEIDER, *Instit. theol.*, p. III. cap. III. § 160. « Inde ab *ævo medio*, ait, potissimum opinio ista de merito bonorum operum atque de absoluta eorum ad salutem assequendam necessitate, maxime divulgata erat; quamvis utrumque hoc, formulis quidem satis ambiguis enunciatum, sæpius in controversiam vocatum est. » Hæc ille.

(2) *De fid. et oper.*, cap. XIV. n. 21.

ejus, et ex operibus ipsa vicissim consummetur : sicut in ABRAHAMO contigisse Scriptura præclare testatur (cap. II. 21 sqq.).

II. Jam vero PAULUM duo priora prædictæ doctrinæ capita aperte tradidisse, adversarii ultro concedunt. Illud igitur in præsenti inquirendum tantum venit, quid nimirum Apostolus de *necessitate operum* ad justificationem obtinendam senserit. Scribens porro PAULUS ad Galatas, postquam eos reprehenderit quod a legalium observatione desistere nollent, quasi ex ipsis justitia sibi eveniret, undenam justificatio expectanda sit, eos sic edocet (V. 6) : *In Christo Jesu*, ait, *neque circumcisio aliquid valet, neque præputium : sed fides, quæ per charitatem operatur* (græce ενεργουμενη (med.), proprie *energiam suam exserens*, ut Rom. VII. 5). Non putabat ergo Apostolus fidem a charitate et operibus sejunctam hominem justificare. Nec minus diserte in epistola sua prima ad Cor. XIII. 2 loquitur : *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* — Quod autem homini justificato necessaria sint opera, ut justitiam semel adeptam conservet atque augeat, et sic ad vitam perveniat æternam, singulæ fere Paulinarum epistolarum paginæ clamant. Quia vero ad epistolam *ad Romanos* adversarii tam lubenter provocant, audiant Apostolum ad ipsos scribentem : *Reddet* (Deus) *unicuique secundum opera ejus : iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam : iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio* (1) (II. 6 sqq.) : et *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* (II. 12). Hæc utique aperta sunt, et PAULUM cum JACOBO plane consentire nos fateri cogunt.

(1) Ultimi hujus commatis sensum, in latino textu paulo obscuriorem, sequentibus verbis aperit ill. BEELEN (*comment. ad h. l.*) : « iis autem qui immorigeri erant, et, projecta virtute, nequitiæ mancipati, pœnam infliget atrocissimam. »

III. Videndum autem nunc est utrum ea, quam exposuimus, JACOBI et PAULI doctrina, iis quæ apud ceteros scriptores sacros occurrunt concinat. Quid igitur prædicabat JOHANNES, ille præcursor Domini? *Pœnitentiam agite.... facite fructum dignum pœnitentiæ..... omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (Matt. III. 2. 8. 10). Quid prædicavit CHRISTUS? *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis* (Luc. XIII. 5). *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* (Matt. VII. 21). *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (Luc. VII. 47). Nec dissimilia prædicat PETRUS iis qui *compuncti corde* dicebant : *quid faciemus, viri fratres? Petrus* enim *ad illos : Pœnitentiam (inquit) agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum* (Act. II. 37. 38). Hominem porro justificatum salutem æternam non adepturum nisi et bonis operibus incubuerit, aperte tradit idem Apostolus, 2 Epist. I. 10 : *Quapropter fratres, magis satagite ut per bona opera* (1) *certam vestram vocationem, et electionem faciatis.* Dixerat quippe CHRISTUS : *venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii* (Joh. V. 28. 29). Ideo et JOHANNES clamat : *filioli, nemo vos seducat. Qui facit justitiam, justus est.* Et *qui servat mandata ejus, in illo manet, et ipse in eo* (1 Epist. III. 7. 24). Nec sine operibus via ad salutem sub V. T. homini patebat, testante EZECHIELE XVIII. 21 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita vivet et non morietur.*

(1) Verba quidem *per bona opera* ad textum pertinere non videntur : verumtamen sensum qui ex immediate præcedentibus manifesto exsurgit, glossema illud, quod in nonnullis codicibus antiquisque versionibus comparet, recte exprimit.

IV. Cum adeo constans et unanimis sit auctorum divinitus inspiratorum in adstruenda operum necessitate consensio, utique SS. Patres ab hac doctrina recedere haud potuisse, vel a priori non immerito quis conficeret. Ut tamen adversariorum os penitius obstruatur, investigare jam volumus quomodo sancti illi Doctores Scripturas, aliunde planas et apertas, interpretati fuerint. Sic enim in aperto magis collocabitur adversariorum, tam Novatorum quam Rationalistarum, aut inscitia, aut mala fides.

CLEMENS ROMANUS, *epist. I. de virgin. cap. III*, ita loquitur : *Nomen autem* (fidelis) *solum sine operibus non introducet in regnum cœlorum; si quis autem fuerit fidelis in* (rei) *veritate, is* (demum) *salvari poterit. Nam quod quis nomine tantum vocatur fidelis, operibus autem non est, non ideo illi contingit ut sit revera fidelis. Igitur* (cavete) *ne quisquam decipiat vos vanis sermonibus erroris* (1).

Auctor libri cui titulus *Pastor*, vulgo HERMAS, lib. II. mand. I, hæc habet : *Primum omnium, crede quod unus est Deus qui omnia creavit et consummavit, et ex nihilo fecit omnia..... Crede igitur in eum, et time eum, et timens habe abstinentiam. Hæc custodi, et abjice abs te omnem concupiscentiam et nequitiam, et indue virtutem justitiæ; et vives Deo, si custodieris mandatum hoc.*

Concinit S. IGNATIUS *ad Eph. cap. XIV* scribens : *Φανερὸν τὸ δένδρον ἀπὸ τοῦ καρποῦ αὐτοῦ· οὕτως οἱ ἐπαγγελλόμενοι Χριστιανοὶ εἶναι, δι᾽ ὧν πράσσουσιν ὀφθήσονται. Οὐ γὰρ νῦν ἐπαγγελίας τὸ ἔργον, ἀλλ᾽ ἐν δυνάμει πίστεως ἐάν τις εὑρεθῇ εἰς τέλος.* Quorum verborum sensum hunc aperit ill. BEELEN (2) : *Quemadmo-*

(1) ܫܡܐ ܓܝܪ ܒܠܚܘܕܘܗܝ ܕܠܐ ܥܒܕܐ ܠܐ ܡܥܠ ܠܡܠܟܘܬܐ ܕܫܡܝܐ. ܐܠܐ ܐܢܫ ܓܝܪ ܢܗܘܐ ܡܗܝܡܢܐ ܒܫܪܪܐ: ܗܘ ܡܫܟܚ ܠܡܚܐ. ܗܕܐ ܓܝܪ ܕܐܢܫ ܢܬܩܪܐ ܡܗܝܡܢܐ ܒܫܡܐ ܒܠܚܘܕ. ܘܒܥܒܕܐ ܠܐ ܐܝܬܘܗܝ: ܡܗܝܡܢܐ ܕܢܗܘܐ ܠܐ ܡܫܟܚ. ܠܐ ܗܘܐ ܐܢܫ ܢܛܥܝܟܘܢ ܒܡܠܐ ܣܪܝܩܬܐ ܕܛܥܝܘܬܐ. Ed. BEELEN, p. 11 sqq.

(2) *S. Clementis Romani epist. de virgin.*, pag. 13. n. 2.

dum ex fructu suo cognoscitur arbor, ita quoque qui profitentur se Christianos esse, ex iis quæ faciunt, dignoscuntur an sint revera Christiani. Neque enim in fidei professione stat summa rei: sed in hoc ut opera fidei ad finem usque vitæ quis exhibeat.

Audiamus jam IRENÆUM, quem, una cum ceteris ejusdem sæculi Patribus, soli fidei et nullis operibus salutem et justitiam coram Deo acceptam referre, mentiuntur MAGDEBURGENSES (*cent.* 2. *p.* 46). Porro *adv. Hær.* lib. IV. cap. 13 hæc habet: *Et quia Dominus naturalia legis, per quæ homo justificatur, quæ etiam ante legis dationem custodiebant qui fide justificabantur et placebant Deo, non dissolvit, sed extendit et implevit*, etc. Et lib. II. cap. 32 varios suæ ætatis hæreticos refellens: *Si quidem*, ait, *nihil esset mali aut rursus boni; opinione autem sola humana, quædam quidem injusta, quædam autem justa putarentur, non utique dixisset dogmatizans, id est, docens: justi autem fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum; injustos autem et qui non faciunt opera justitiæ, mittet in ignem æternum, ubi vermis ipsorum non morietur, et ignis non extinguetur* (1).

Huic accedit CLEMENS ALEXANDRINUS, *Strom. lib. VI. cap.* 14 scribens: *Quare quando audierimus, Fides tua te salvam fecit, non accipimus eum dicere absolute eos salvos futuros qui quomodocumque crediderint, nisi opera quoque fuerint consecuta* (2).

S. HYPPOLITUS PORTUENSIS, *in lib. adv. Græcos*, de resurrectione agens, asserit quod *soli justi operum justorum memores erunt, per quæ pervenerunt ad regnum cœleste* (3).

Nec aliter sentit ORIGENES, quippe qui *Comment. in epist. ad Rom.*

(1) Pag. 242 et 165. Ed. Massueti. — Græca IRENÆI verba hac utraque parte interciderunt.

(2) Ὥστε, ὅταν ἀκούωμεν, Ἡ πίστις σου σέσωκέ σε, οὐχ ἁπλῶς τοὺς ὁπωσοῦν πιστεύσαντας σωθήσεσθαι λέγειν αὐτὸν ἐκδεχόμεθα, ἐὰν μὴ καὶ τὰ ἔργα ἐπακολουθήσῃ. Ed. Oxoniensis, pag. 283.

(3) Μόνοι δὲ οἱ δίκαιοι μιμνήσονται ἔργων, δι' ὧν ἐπὶ τὴν οὐράνιον βασιλείαν κατήντησαν. *Patrol. Græc.*, Migne, tom. X. pag. 801.

lib. II. n. 4, scribit : *Secundo in loco ædificentur fideles, ne putent sibi hoc solum sufficere posse quod credunt; sed sciant justum judicium Dei reddere unicuique secundum opera sua* (1).

Audiatur et Cyprianus qui *lib. de lapsis* n. XXXVI : *Si precem*, inquit, *toto corde quis faciat, si veris pœnitentiæ lamentationibus et lacrymis ingemiscat, si ad veniam delicti sui Dominum justis et continuis operibus inflectat, misereri talium potest qui et misericordiam suam protulit dicens : cum conversus ingemueris, tunc salvaberis, et scies ubi fueris....... Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere...... Qui sic Deo satisfecerit, qui pœnitentia facti sui, qui pudore delicti, plus et virtutis et fidei de ipso lapsus sui dolore conceperit, exauditus et adjutus a Domino, quam contristaverat nuper lætam faciet Ecclesiam; nec jam solam Dei veniam merebitur, sed et coronam.*

Gregorius Nyssenus, *in Ecclesiasten hom. VIII*, in rem nostram præclara hæc habet : *Cum enim cum fide connexuisset et contexuisset justitiam* (loquitur de armatura illa cujus Apostolus ad Eph. VI. 14 meminit), *per ea armato munit thoracem, recte et tute per utrumque militis pectus muniens. Non potest enim fieri, ut alterum ab altero disjunctum, ex se tuta præbeat arma ei qui ipsa tractat. Neque enim fides absque operibus justitiæ sufficit ad servandum. Neque rursus vitæ justitia per se tuta est ad salutem, si sejuncta sit fides* (2).

Ecclesiæ porro syriacæ fidei testis est S. Ephrem qui, *Serm.* 80 *adv. Scrutatores*, hæc habet : *Quemadmodum corpus per vitam animæ subsistit; ita quoque ipsa anima, quantumvis bene vivere videatur, sine*

(1) Opp. tom. IV. pag. 479. Ed. Delarue.

(2) Τῇ πίστει γὰρ τὴν δικαιοσύνην συμπλέξας καὶ συνυφάνας, διὰ τούτων κατασκευάζει τῷ ὁπλίτῃ τὸν θώρακα, καλῶς καὶ ἀσφαλῶς δι' ἀμφοτέρων θωρακίζων τὸν στρατιώτην. Οὐ γάρ ἐστιν, ἕτερον τοῦ ἑτέρου διεζευγμένον, ἀσφαλὲς ὅπλον ἐφ' ἑαυτοῦ τῷ μεταχειριζομένῳ γενέσθαι. Οὔτε γὰρ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων τῆς δικαιοσύνης ἱκανὴ περισώσασθαι· οὐδ' αὖ πάλιν ἡ τοῦ βίου δικαιοσύνη ἀσφαλής ἐστιν εἰς σωτηρίαν καθ' ἑαυτὴν, διεζευγμένης τῆς πίστεως. — Opp. tom. I. pag. 747. Ed. Migne.

piis operibus non vivit : quia mediantibus operibus fidei, potis est ad vivendum. Quod testantur Scripturæ (1).

Possemus et alia plurima testimonia hic congerere (2); verum ea quæ protulimus abunde sufficiunt ad ostendendum primitivæ Ecclesiæ fidem Novatorum placitis nequaquam favere; ipsam econtra cum doctrina Jacobi aliorumque Scriptorum sacrorum mirum in modum convenire. Ex iis vero pariter constat quid sentiendum sit de Rationalistarum hujusce ætatis systemate, qui nempe commenta sua aliqua veri specie adornare non valent, nisi sanctos Ecclesiæ Patres perpetuis calumniis proscindendo, atque monumenta historica, etiam apertissima, aut tacendo aut pro falsis gratis traducendo.

V. Itaque ex iis quæ hucusque disputavimus, illud certo certius conficiendum est, quod si nempe Scriptura aliqua doctrinæ Jacobi repugnans deprehenderetur, non jam ipsa Jacobi epistola pro spuria habenda foret, uti arbitrario prorsus modo fecit Lutherus; sed scriptura illa, quæ huic non tantum Jacobi sed et universæ Scripturæ et SS. Patrum doctrinæ adversaretur, rejicienda foret. Verum, hujusmodi Scriptura nuspiam occurrit. Loca enim Paulina quæ adversarii allegare solent, nil tale præ se ferunt; et si mente a præjudicatis opinionibus aliena perpendantur, cum illa, quam exposuimus, doctrina ad amussim conveniunt.

(1) ܘܡܛܠ ܗܘ ܦܓܪܐ ܡܫܡܠܝܐ ܗܘ ܕܢܦܫܐ ܩܐܡܐ. ܐܘܦ ܗܟܢ ܢܦܫܐ ܡܢ ܥܒܕ ܚܝܐ ܕܠܐ ܕܥܒܕ̈ܐ ܘܐܦܠܐ ܚܝܐ. ܕܒܥܒܕ̈ܐ ܕܗܝܡܢܘܬܐ ܡܫܟܚܐ ܠܡܚܝܐ. ܘܡܣܗܕܝܢ ܟܬܒ̈ܐ. Opp. tom. III. Syriace et latine, pag. 149. Ed. Romana.—Translationi St. Assemani, utpote laxiori, stare non potuimus : ideoque versionem nostram hic substituimus.

(2) Cf. v. g. S. Justinus, *Dial. cum Tryph.*, n. 95. p. 192. Ed. Maran. — S. Gregorius Nazianzenus, *Orat. XL.* n. 45. Opp. tom. I. pag. 728. Ed. Benedict. — S. Cyrillus Alexandr., *Epist. LV* (olim XLVII). Opp. tom. X. pag. 174. Ed. Auberti.—S. Chrysostomus, *Hom. LXIV in Matt.*, n. 4. — S. Jacobus Nisibenus, *Serm. I de fide*, §§. 4 et 9. Romæ, 1756.— S. Ambrosius, *De off. ministr.*, cap. XXIX. — S. Augustinus, *lib. de fid. et oper.*, cap. XIV. — S. Hieronymus, *lib. 2 contra Jovin.*, n. 2. etc. etc.

Quid enim sibi velit PAULUS quando scribit : *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis* (Rom. III. 28); et *scientes quod non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi* (Gal. II. 16); aut *gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis* (Eph. II. 8); et iterum : *si autem gratia, jam non ex operibus : alioquin gratia jam non est gratia* (Rom. XI. 6)? Unum porro in istis et similibus præ oculis habet, unumque auditoribus suis inculcare intendit Apostolus : omnimodam videlicet primæ justificationis *gratuitatem*, quam proinde homo nullis operibus *promereri* valet. In illa quippe falsa persuasione erant, uti sæpius jam monuimus, Judæi ad CHRISTUM recens conversi, sibi, utpote ex ABRAHÆ semine, et circumcisis, et legem habentibus, justificationis gratiam debitam fuisse. Ex altera parte Ethnico-Christiani adversus Judæos gloriari solebant, quasi Gentiles propterea vocati essent quod, Judæis legem suam non servantibus et idcirco rejectis, ipsi legem naturalem probe servavissent. Itaque in hoc errore refellendo totus est Apostolus in locis objectis : ideoque sæpius ibidem asserit neque Judæos neque Gentiles ullis operibus legis sive mosaicæ sive naturalis, *justificationis gratiam promereri* potuisse; quippe quæ *per fidem ex gratuita prorsus Dei benignitate* homini obtingat. Hanc porro veritatem JACOBUS nullibi negavit : ipsam econtra asseruit, uti supra diximus, licet obiter tantum ejus, utpote extra propositum suum, meminerit.

Sed posita semel justificationis gratuitate, duo ulterius inquiri poterant : unum nempe; utrum homo ad justificationis gratiam obtinendam sese *præparare* non debeat, non quidem per opera ex sola notitia legis sine spiritu gratiæ moventis facta, sed *per opera ex spiritu gratiæ et fidei* præstita; alterum autem : qui homo, justificationis gratiam jam adeptus, relative ad opera legis sese habere debeat. Jam vero duplicem hanc quæstionem, quotiescumque ipsam tractandi occasio opportuna visa est, eodem plane sensu quam JACOBUS, PAULUS resolvit. Quod si nonnumquam quæstiones illas silentio pre-

mat, hac sola ratione ducitur, ne scilicet ex malo ipsarum intellectu auditores sui errandi ansam accipiant.

JACOBUS vero, quum perspectum haberet plurimos e Judæis recens conversis doctrinam PAULI de gratuita justificatione perverse intelligere, ipsaque *abuti* tales ex ea sequelas deducendo a quibus PAULUS abhorrebat; fideles illos edocere voluit quomodo intelligenda esset hæc Apostoli doctrina. Itaque ea quæ a PAULO in nonnullis locis, non absque ratione, prætermissa fuerant, ipse optimo jure supplevit atque disertius tradidit, non secus tamen ac ipse PAULUS in aliis scriptorum suorum locis fecerat. Quæ cum ita sint, ne minimum quidem inter PAULUM et JACOBUM dissidium vigere manifesto patet.

VI. Finem porro præsenti nostræ quæstioni impposituri, non possumus quin mirandam nimis catholicæ doctrinæ cum iis quæ tum ex Scripturis tum ex Patribus eruimus, concordiam prædicemus. Ad hoc autem canones quatuor a sacrosancta Tridentina Synodo definitos recitare suffecerit. Itaque *Sess. VI. de justificatione Canon I* sic sonat : « Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per » humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam fiant, absque divina » per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo; anathema » sit. » — *Can. IX :* « Si quis dixerit, sola fide impium justificari, » ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam » consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suæ » voluntatis motu præparari, atque disponi; anathema sit.» — *Can. III :* « Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, at» que ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere » posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema » sit. » — *Can. XXIV :* « Si quis dixerit, justitiam acceptam non con» servari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera; sed » opera ipsa fructus solummodo, et signa esse justificationis adeptæ, » non autem ipsius augendæ causam ; anathema sit. »

CAPUT TERTIUM.

ARGUMENTUM. *Supra* (Cap. I. ℣. 19) *bipartitam generalem propositionem Jacobus protulit : sit omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum. Priorem porro hujusce propositionis partem capite antecedenti evolvit : posteriorem* (*tardus ad loquendum*) *nunc assumit tractandam. Orditur itaque a declarando quid præsertim intellexerit dum tarditatem ad loquendum commendaret : vitium quippe Judæis recens conversis iterum familiare, alios scilicet religionem edocendi pruritum, impugnare intendebat* (1). *Hujus autem commendationis suæ rationem reddendo* (2), *adversus peccata linguæ invehendi occasionem nanciscitur. Descripta igitur, triplicis imaginis ope, linguæ potentia* (3-6), *quam difficile sit membrum istud, quantumvis pusillum, debite moderari, demonstrat* (6-8). *Quod ut magis in aperto ponat, quosdam actus e diametro oppositos, quibus tamen eadem lingua inservit, recenset* (9-10) : *cujus ministerii deformitatem, variis iterum usus similitudinibus, denuntiat* (11-12). *Tum ad propositum suum rediens, qualis quis esse debeat ut ad munus alios religionem edocendi legitime aspirare queat, generatim edicit* (13). *Statim vero quænam huic muneri debite obeundo maxime obstent aperit* (14-16), *ac demum quibusnam speciatim dotibus magister præfulgere debeat exponit* (17), *proposito simul præmio ipsi reservato* (18).

ỳ. 1-2. Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis. [2] In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit: hic perfectus est vir. potest etiam freno circumducere totum corpus.

ỳ. 1-2. Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε, ἀδελφοί μου, εἰδότες ὅτι μεῖζον κρίμα ληψόμεθα. [2] Πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες. Εἴ τις ἐν λόγῳ οὐ πταίει, οὗτος τέλειος ἀνὴρ, δυνατὸς χαλιναγωγῆσαι καὶ ὅλον τὸ σῶμα.

PARAPHRASIS. *Ne multi ex vobis, fratres mei, magistri fieri aspirent, quippe qui scitis quod nos magistri severiori plectemur sententia, si nempe in illo munere obeundo defecerimus. Hoc autem facillime contingere potest. In multis enim offendimus omnes quotquot sumus : sed maxime in lingua; adeo ut si quis in verbis suis non offendat, hic perfectus censeatur vir, utpote qui potens sit et totum corpus suum debite moderari.*

Supra (cap. I. *v.* 19) bipartitam propositionem emiserat JACOBUS, *sit autem omnis homo velox ad audiendum : tardus autem ad loquendum.* Priorem porro hujusce propositionis partem hucusque evolvit, quonam sensu quisque ad audiendum velox esse debeat perspicue tradens. Nunc vero posteriorem ejus partem, nimirum *tardus sit ad loquendum*, tractandam assumit. Itaque quid per hæc verba maxime intenderit, statim explicat dicens : *Nolite plures magistri fieri;* indeque occasionem nactus, varia linguæ pericula et incommoda recenset, et adversus ipsam invehitur. — Non est autem cur putemus Apostolum ad hoc novum argumentum tractandum ex abrupto transire : nec enim deficit quilibet cum præcedentibus nexus. Innuerat siquidem modo JACOBUS non deesse qui vel ex inscitia vel ex imbecillitate ingenii PAULUM aliter quam oporteret interpretarentur, sicque falsa dogmata spargerent. Non incongrue igitur ad hoc devenit, ut auditores suos

admoneat ne docendi munus indebite sibi arripiant. Notum autem est fastuosum admodum habuisse Judæos titulum magistri sive *Rabbi*, nec ullo alio delectari magis fuisse solitos superbos homines. Hinc Scribas et Pharisæos increpat CHRISTUS quod *ament vocari ab hominibus Rabbi* (Matt. XXIII. 7); ideoque discipulos suos monet: *vos autem nolite vocari Rabbi* (ib. *v.* 8). Intempestivi hujus alios edocendi pruritus PAULUS pariter meminit 1 Tim. I. 6. 7 et Tit. I. 10. 11.

℣. 1. *Nolite plures magistri fieri fratres mei.*) Itaque ab immoderato illo magisterii assumendi ambitu auditores suos Apostolus compescit. *Nolite*, ait, *passim* (πολλοι, *multi*, quod est orationis subjectum) *ad magisteria aspirare.*

scientes quoniam majus judicium sumitis.) Adhortationis suæ rationem reddit Apostolus : quam quidem non absolutam sed conditionatam esse ipsa rei natura suadet. Procul enim dubio subintelligit, *si hoc munere non debite functi fuerimus.* Ceterum conditionem hanc sæpissime et facillime verificari, mox declarabit.— Pro eo quod in Vulgata dicitur *sumitis*, in græco est ληψομεθα h. e. *sumemus*, ita ut et ad seipsum Apostolus, modestiæ causa, sententiam transferat. — Dictio κριμα λαμβανειν occurrit pariter Matt. XXIII. 13; Marc. XII. 40; Luc. XX. 47. et Rom. XIII. 2, et ubique *pœnas dare* significat: κριμα scilicet, *judicium*, per metonymiam ibi dicitur de *pœna*, et respondet hebraico מִשְׁפָּט (Exod. VI. 6). Qui sensus et in præsenti obtinere videtur : melius enim ad pœnam quam ad judicium quadrat tum notio *accipiendi*, tum attributum *majus*. — Comparativus μειζον hic usurpatur ita, ut alterum comparationis membrum reticeatur, et relinquatur intelligendum ex contexta oratione. Quod in libris N. T. sæpius obtinet (1). Itaque sensus est : *graviori plectemur sententia quam ii qui docendi munere insigniti non fuerint.*

℣. 2. *In multis enim offendimus omnes.*) Probat (γαρ) jam generali quadam ratione, defectum illum quem in munere doctoris obeundo severioris pœnæ causam futurum innuerat, facillime

(1) Cf. *Gram. Græc. N. T.* §. 36. pag. 250. n. 3.

admitti posse. Ratio autem hæc est, quod imbecillitatis nostræ proprium sit, ut *in multis deficiamus ac delinquamus omnes.*

Locutio πολλα habenda non est pro Regimine Verbi, sed pro Accusativo, ut vocant, *adverbiali* (1). Valet autem hic *in multis*, ut vulgatus scite vertit. — Ἁπαντες i. e. *universi omnes*, nemine excepto. Differt igitur a παντες quod nonnumquam *plerosque* solummodo designat : cf. Act. II. 12 collato *v*. 13. Huic effato JACOBI prorsus concinit JOHANNES scribens (1 epist. I. 8) : *si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.*

Duo porro errores sibi invicem oppositi paucis istis JACOBI vocibus profligantur. Unus est Pelagianorum, qui contenderunt hominem propriis liberi arbitrii viribus ad eam justitiæ perfectionem pervenire posse, ut absque ullo prorsus peccato vivat. Novatorum alter est, qui docuere *omne* opus, etiam justi, damnabile esse et peccatum mortale, si judicio Dei judicetur. Sed non dicit Apostolus *in omnibus*, sed in *multis* peccare omnes. Ceterum vix moneamus opus est JACOBUM non velle significare *omnes* in multis *lethaliter* peccare. Cf. quæ scripsimus supra pag. 122.

Si quis in verbo non offendit : hic perfectus est vir.) Quod Apostolus generali sententia dixerat *in multis offendimus omnes*, id *in verbis* maxime obtinere nunc edocet : qui enim *in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Quum autem ex una parte nemo facile se perfectum æstimare possit; et ex altera is qui magisterium susceperit sæpius verba facere debeat; hinc etiam ipse in majori periculo delinquendi ideoque severius judicium sibi assumendi sese versari agnoscat necesse est. Cur porro vir ille *perfectus* prædicetur, sequentibus verbis declaratur :

potest etiam freno circumducere totum corpus.) Græce : *potens* (δυνατος) *et totum corpus refrenare* : quæ sententia præcedenti *asyndetice* jungitur : cujusmodi *asyndeton* sæpe obtinet ubi dicti alicujus ratio subjicitur. Igitur res adeo difficilis apparet linguam ita moderari ut in verbis non delinquat, ut qui eousque progressus

(1) De *Accusativo adverbiali* vid. HERMANNUM *ad Vigerum*, pag. 882. — *Gram. Græc.* §. 32. 6. pag. 233. Cf. pariter pagg. 140. 229. 231.

est possit etiam totum corpus suum debite moderari, ac proinde vir perfectus reputari. Per *corpus* intelligit Estius ad h. l. *corpus actionum*, sed infirma prorsus ratione ductus. Quamquam enim Apostolus linguam nondum nominavit, linguæ tamen moderamen omnes intellexerint audiendo : *si quis in verbo non offendit*. Nec video quomodo notio Verbi χαλιναγωγεῖν (de quo vid. sup. pag. 87) ad corpus actionum quadrare valeat. Homo quidem affectiones animi et membra corporis, e quibus variæ actiones prodeunt, refrenare ac domare potest; ipsas vero actiones *transeuntes* refrenare durius diceretur.

℣. 3-6. Si autem equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus illorum circumferimus. 4 Ecce et naves, cum magnæ sint, et a ventis validis minentur, circumferuntur a modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit. 5 Ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit! 6 Et lingua ignis est, universitas iniquitatis.

℣. 3-6. Ἴδε [a], τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ στόματα βάλλομεν πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτοὺς ἡμῖν· καὶ ὅλον τὸ σῶμα αὐτῶν μετάγομεν. 4 Ἰδοὺ, καὶ τὰ πλοῖα, τηλικαῦτα ὄντα, καὶ ὑπὸ σκληρῶν ἀνέμων ἐλαυνόμενα, μετάγεται ὑπὸ ἐλαχίστου πηδαλίου ὅπου ἂν ἡ ὁρμὴ τοῦ εὐθύνοντος βούληται. 5 Οὕτω καὶ ἡ γλῶσσα μικρὸν μέλος ἐστὶ, καὶ μεγαλαυχεῖ. Ἰδοὺ, ὀλίγον [b] πῦρ ἡλίκην ὕλην ἀνάπτει. 6 Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας.

Paraphrasis. *Neque hoc est adeo mirandum. Quod si, ut exemplis utar, equis frena in ora injicimus, ut nobis obediant : totum simul ipsorum corpus moderamur et circumagimus. En etiam naves, licet tantæ magnitudinis sint,*

et a ventis validis exagitentur, modico gubernaculo circumferuntur quocumque gubernator decreverit. Sic et lingua pusillum quidem membrum est, sed magna efficit. Ecce, modicus ignis quantam silvam incendere potest! Utique lingua ignis est, lingua, mundus ille iniquitatis.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ἴδε reponendum est εἰ δὲ : quam lectionem exhibent ABGK, minusculi multi, versionesque itala, coptica et vulgata (syriaca legit ἰδου γαρ : habet enim ܗܐ ܓܝܪ), pariterque Damascenus et OEcumoenius. Suffragatur porro lectionis hujus difficultas, cum, ea admissa, phrasis *apodosi* carere videatur. Dein, cum Apostolus in hac epistola ἰδου sexies scripserit (III. 4. 5; V. 4. 7. 9. 11), nusquam ἰδε, non apparet cur in præsenti ἰδε et non ἰδου scripsisset.

b) Pro ολιγον quod est in textu Complutensi, Vulgatus auctor legit ηλικον : quæ quidem lectio multos et graves testes habet (occurrit in A**BC*, apud Chrysostomum, Antiochum et OEcumoenium), et a Tischendorfio recepta fuit. Quia tamen Complutensis lectio et auctoritate non caret (ipsam quippe exhibent A* (vdtr) C**GK, Syrus, minusculi fere omnes, atque Damascenus et Theophylactus), et cum contexta oratione longe melius cohæret, ideo eam prætulerim; eo magis quod ob insequens ηλικην librarii oculus aberrare facillime potuerit. Beda sane testatur nonnullos codices latinos habere : *ecce modicus ignis;* vetus Itala legit : *modicus ignis;* ipseque Hieronymus in *Isaiæ LXVI.* 15. 16 habet : *parvus ignis.*

℣. 3. *Si autem equis frena in ora mittimus* cet.) Non esse cur mirentur auditores sui quod dixerit, eum qui linguam suam refrenare novit, posse et totum corpus debite moderari, Apostolus hic ostendit, triplici similitudine adhibita.

Prima porro similitudo desumitur ex freno, quod, in ore equi injectum, quantumvis in se parvum, toti tamen ejus corpori subigendo ac dirigendo inservit. Hæc autem comparatio per δε *transeuntis* inducitur. — Verba ει δε των ιππων κ. τ. λ. præsentis orationis *protasis* sunt : *apodosis* vero a verbis και ολον incipit. Luc. II. 15 et infra cap. IV. 15 particula και apodosin pariter inducit. Construc-

tio græca protaseos paulo impeditior est, propter verborum transpositionem, qualis et Joh. XII. 47 deprehenditur. Expeditior phrasis hæc fuisset : ει δε εις τα στοματα των ιππων χαλινους βαλλομεν. Vicissim vero latina *ad consentiendum nobis*, quia subjectum Verbi nullum exprimitur, obscuriora sunt. Vertendum erat : *ut obediant ipsi nobis* : quem sensum verba græca manifestum faciunt. — Προς *de consilio* seu *fine*, ut Matt. VI. 1. — Infinitivus πειθεσθαι hic nominascit et in quarto casu ponitur : quæ quidem structura in libris N. T. sæpius occurrit quam apud scriptores profanos. — Μεταγειν proprie est *de loco in locum transferre*.

℣. 4. *Ecce et naves, cum magnæ sint, et a ventis* cet.) Secunda similitudo ducitur a gubernaculo quod, licet iterum modicum, navem etiam ingentem atque a ventis agitatam, quocumque gubernator decreverit dirigere valet. — Verborum sensus perspicuus est, nisi quod latinum *impetus* notionem quam ορμη in præsenti obtinet non satis accurate exprimat. Non enim dubitaverim vocem illam animi impetum sive voluntatem metaphorice hic significare, ut Act. XIV. 5. HESYCHIUS : ὁρμη· βουλη, επιθυμια.

℣. 5. *Ita et lingua modicum quidem membrum est, et magna exaltat.*) Duplicis præmissæ similitudinis applicatio (ουτω και) fit. Apostolus nempe declarat linguam, quantumvis pusillum membrum sit, magna tamen efficere posse : haud secus ac frenum et gubernaculum quæ quidem res parvæ sunt, sed magnos producunt effectus. — Particula και posteriori loco posita, vim *adversativam* obtinet, ut supra cap. II. 3. — Μεγαλαυχειν (ex μεγαλα et αυχειν) proprie est : *magna jactare verbis*. Verum sensus ille præsenti Apostoli scopo parum convenire videtur : idcirco putaverim cum OECUMENIO (1), quem ESTIUS etiam sequitur, JACOBUM vocem illam sic usurpare ut valeat *magna vi pollere, magna efficere*. Et certe in omnibus linguis, et græca præsertim, usu contingit ut voces a significatione grammatica in aliam quandoque deflectant. Sic, ut

(1) Η γλωσσα.... ὁκαν μικρον μελος εστιν, αλλα μεγαλα εργαζεται, καλα δηλαδη και κακα· h. e. *lingua.... quæ etsi pusillum sit membrum, magna tamen operatur : bona videlicet et mala.*

exemplo ex eodem prorsus genere petito utar, vox παρρησια (a πας et ρησις), quæ etymologice libertatem *in loquendo* denotat, ad confidentiam *in agendo* significandam nonnumquam usurpatur : cf. Philip. I. 20.

Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit!) Tertia est similitudo quam ad potentiam linguæ declarandam Apostolus adhibet. Desumitur porro e scintilla quæ magnam silvam incendere valet. — Ολιγον (videsis var. lect.) de eo etiam quod magnitudine, nec numero tantum, exiguum est, dici constat ex Act. XIX. 23. HESYCHIUS : *ὀλίγον· μικρὸν ἢ οὐδέν.*

℣. 6. *Et lingua ignis est, universitas iniquitatis.*) Prædictam comparationem merito assumi ad vim linguæ significandam, Apostolus asseverat (και, gallice : *oui*). *Utique*, ait, *lingua ignis est*, *lingua, inquam, mundus ille iniquitatis.* — Metaphoram ignis de lingua pariter usurpatam reperies Prov. XVI. 27; Ps. CXIX. (Heb. CXX. 3. 4).

Verba *universitas iniquitatis*, *ο κοσμος της αδικιας*, *appositionem* esse ad subjectum *lingua*, non vero ad prædicatum *ignis*, præsentia Articuli in græco mihi suadet. Nec obest quod comma illud a voce declaranda aliquantisper removeatur : hoc enim nonnumquam fieri diserta exempla docent. Cf. 1 Cor. V. 7; Heb. VII. 4. Quonam porro sensu lingua dicatur *ignis* et *mundus iniquitatis*, in sequentibus declarabitur. — Articulus ὁ videtur hic vicem supplere Pronominis Demonstrativi, idemque adeo valere quod εκεινος. Gallice verterem : *la langue, ce monde d'iniquité*. Cf. Rom. VII. 21 (τ ο ν νομον).

Sensum quidem longe diversum exhibet syriaca versio. Legit enim : ܘܠܫܢܐ ܢܘܪܐ ܗܝ܂ ܘܥܠܡܐ ܕܥܘܠܐ ܐܝܟ ܥܒܐ ܗܘ܂ h. e. *et lingua ignis est : et mundus iniquitatis velut silva est*. Existimavit nempe syrus utriusque membri comparationis applicationem hcic fieri, quatenus lingua igni respondeat, et mundus iniquitatis silvæ quam ignis accendit. Verum hanc lectionem codex græcus nullus agnoscit : nec est cur putemus hujusmodi codicem, qui sic legeret, Syrum præ manibus habuisse. Notum quippe est ipsum non solum translatoris sed et interpretis vices quandoque agere. Sensus tamen quem hic facit, cum iis quæ immediate sequuntur durius cohæret ut admitti valeat. Ibidem enim materia circa quam lingua vim suam ignitam exserit, corpus humanaque vita esse haud obscure innuitur.

℣. 6-8. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflammat rotam nativitatis nostræ inflammata a gehenna. 7 Omnis enim natura bestiarum, et volucrum, et serpentium, et ceterorum domantur, et domita sunt a natura humana : 8 linguam autem nullus hominum domare potest : inquietum malum, plena veneno mortifero.

℣. 6-8. Οὕτως [a] ἡ γλῶσσα καθίσταται ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν, ἡ σπιλοῦσα ὅλον τὸ σῶμα, καὶ φλογίζουσα τὸν τροχὸν τῆς γενέσεως, καὶ φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης. 7 Πᾶσα γὰρ φύσις θηρίων τε καὶ πετεινῶν, ἑρπετῶν τε καὶ ἐναλίων, δαμάζεται καὶ δεδάμασται τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ· 8 τὴν δὲ γλῶσσαν οὐδεὶς δύναται ἀνθρώπων δαμάσαι· ἀκατάσχετον κακὸν, μεστὴ ἰοῦ θανατηφόρου.

Paraphrasis. *Lingua nimirum hanc inter membra nostra vicem gerit ut totum corpus peccatis coinquinet, et totum vitæ decursum inflammet, et inflammetur ipsa a diabolo. Etenim, dum omnis, qualiscumque ea sit, natura tam ferarum quam volucrum, tam serpentium quam marinarum belluarum, humana solertia domatur : linguam tamen nullus hominum domare valet. Instabile malum est lingua, lethifero veneno referta est.*

VARIANS LECTIO.

a) Particula οὕτως vix aliquid auctoritatis habet. Nec enim ipsam exhibent ABCK. Abest pariter a minusculis multis et ab antiquis versionibus.

℣. 6. *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat* cet.) Quod Apostolus compendiose modo asseruerat : *lingua ignis est, universitas iniquitatis*, uberius nunc explicat et evolvit. Sensum in paraphrasi aperuimus. Quod ad structuram phraseos attinet, notandum est tria Participia σπιλουσα, φλογιζουσα et φλογιζομενη cum Verbo Finito καθισταται arctissime construi. Vulgata quidem, omissa particula και, Participium *inflammata* (φλογιζομενη) dependens a Verbo finito *inflammat* (græce Part. φλογιζουσα) habet, sicque innuit relationem *causæ* et *effectus*, quasi lingua ideo inflammet quia et ipsa a gehenna inflammatur. Quæ relatio quamvis *logice* vera sit, eamque procul dubio JACOBUS in mente habuerit, *grammatice* tamen non exprimitur. Ceterum Participia illa *Præsentis* id quod fieri *solet* declarant. — Σπιλοω proprie dicitur de vestium commaculatione, *metaphorice* vero de inquinatione peccati. Lingua porro totum corpus inquinare dicitur quatenus ipsa cur totum corpus sive cetera corporis membra peccent, frequens causa est. — In Verbo φλογιζειν servatur metaphora ignis : qua dempta, putaverim non quidpiam a præcedenti verbo distinctum hic significari : ita ut quod linguæ adscriptum fuit respectu *totius corporis*, idem nunc ipsi tribuatur respectu *totius vitæ*.

Vix credibile est quot et quam contortas interpretationes duæ illæ voces, τροχος της γενεσεως, *rota nativitatis*, nactæ sint. Quibus prætermissis, sententiam illam quæ simplicitate sua, servata tamen verborum proprietate, se commendat, proferre hic suffecerit. Itaque *rotam nativitatis* intelligimus *totum humanæ vitæ decursum* (1). Et quidem τροχον, etiamsi in ultimam accentum reposueris, hunc significatum obtinere negari non potest. Nam HESYCHIUS inter varias hujus vocis notiones, et illam recenset qua τροχός idem est ac δρόμος. Quamquam si notionem propriam *rotæ* ipsi servaveris, non incongrue metaphora hæc ad vitam quadrabit. Ex altera parte vocem γενεσις, quæ proprie *originem* et *nativitatem* denotat, *metonymice* tamen pro

(1) Nec aliter OECUMOENIUS. Τροχον γενεσεως την ζωην ημων φησι· φλογιζουσα ουν τον τροχον της γενεσεως, σπιλοι την ζωην. h. e. Τροχον γενεσεως *vitam nostram vocat : inflammans igitur* τροχον γενεσεως, *commaculat vitam.*

vita usurpari, exemplis tum e classicis (1), tum e versione septuagintavirali desumptis conficitur. Cf. Judith XII. 18; Sap. VII. 5.

inflammata a gehenna.) Innuitur hisce verbis undenam lingua vim tantam habeat. Illam porro habere dicitur *a diabolo*, qui reapse lingua hominis tamquam instrumento uti solet ad mala quævis perpetranda. Pro diabolo ponitur *gehenna*, per *metonymiam* loci pro locato : gehenna enim sedes est ac domicilium diaboli. Mediante hac *metonymia*, metaphora *ignis* ad finem usque protrahitur.

Est autem Γεεννα Aramaica vox גְּהִנֹּם græcis litteris scripta. גְּהִנֹּם vero composita vox est ex גֵּיא הִנֹּם quod plenius dicitur (4 Regum XXIII. 10) : גֵּי בְנֵי הִנֹּם — « Fuit *vallis filiorum Hinnom*, uti scribit ill. D. BEELEN (2), locus prope Jerusalem, crudeli Molochi cultu aliquando infamis, quem Josias rex narratur contaminasse, ut etiam hac ratione Israelitæ a nefando cultu averterentur (4 Reg. XXIII. 10). Videtur autem pius Rex præcepisse ut in eum locum conjicerentur morticina et immunda alia quævis comburenda; hinc et ignis in valle Hinnom alitus perpetuus; unde deinceps, quia is locus speciem exhibebat pœnarum Inferni, *Gehennæ* nomine Infernus designari cœpit; fuitque is usus loquendi, eo jam tempore quo Salvator noster cum hominibus versari dignatus est, communissimus, uti vel ex N. Fœderis Scripturis abunde constat. » — Vocatus est etiam locus iste *Thopheth* (תֹּפֶת 4 Reg. XXIII. 10), a ritu, ut quidam putant, sacrificandi, quod interim dum infantes in honorem Molochi cremabantur, *tympana* pulsarentur, ne parentes eorum vagitus audientes, dolore tangerentur. Tympanum enim hebraice תֹּף dicitur.

℣. 7. *Omnis enim natura bestiarum, et volucrum*, cet.) Probat (γαρ) Apostolus linguam revera a diabolo inflammari, quum homo qui omnem, qualiscumque ea sit, animalium indolem domare novit, linguam tamen refrenare non valeat. Sicque quanta sit linguæ perniciosa vis, iterum apparet. — Πασα φυσις, absque Articulo, est

(1) THEILE (pag. 185) ex HEISENIO affert illud ARISTIDIS : *οι παρελθοντες ηδη σοι της γενεσεως ενιαυτοι.*

(2) *Chrestomathia Rabbinica et Chaldaica*, vol. II. Part. I, pag. 75 sq. — Lovanii, 1841.

omnis, qualiscumque ea sit, natura sive indoles. — Particulæ τε-και, sine interjecta voce positæ, nectunt et æquant, valentque *tam-quam*. Prohibent igitur quominus θηρια pro genere habeamus, sub quo tres species subindicatæ reducerentur, uti quidam voluerunt : ideoque quadripartita descriptio hic agnoscenda venit. — Pro voce *ceterorum*, quæ in Vulgata occurrit, græce legitur, et quidem sine varietate codicum, ἐναλίων, q. e. *belluarum marinarum* (ἐν, ἅλς *mare*). Probabile autem valde videtur interpretem nostrum scripsisse *cetorum*, quod, librariorum oscitantia in *ceterorum* evaserit. Et Estius quidem, post Erasmum, nonnullos codices latinos qui sic haberent, se vidisse testatur. — Putaverim Perfectum δεδαμασται Præsenti δαμαζεται conjunctum fuisse ad *id quod constanter fit* significantius exprimendum : quamvis vel Præsenti vis illa jam inesset (1).

℣. 8. *Linguam autem nullus hominum domare potest.*) Voluit quondam Pelagius, teste Augustino *lib. de nat. et grat. c. XV*, hæc interrogative esse sumenda. Verum hoc non patitur contexta oratio, neque ulterior illa declaratio *inquietum malum, plena veneno mortifero*. Non est autem intelligendus Apostolus de *absoluta* impossibilitate, cum et ipse supra (*v.* 2) dixerit : *si quis in verbo non offendit : hic perfectus est vir;* et mox (*v.* 10) subjungat : *non oportet hæc ita fieri;* quod utrumque, divina opitulante gratia, homini factu possibile dicamus oportet. Sed intelligendus est vel de impossibilitate, spectatis solis naturæ viribus; quo sensu Christus de salute divitum ait : *apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt* (Matt. XIX. 26); vel etiam de magna difficultate linguam *perfecte* refrenandi, cum ordinariis gratiæ auxiliis.

inquietum malum, plena veneno mortifero.) Quæ verba non sunt habenda pro *appositione* ad objectum phraseos (*linguam*) : uti nonnulli iterum docent. Hoc enim manifestum facit *casus rectus* vocis μεστη. Sed agnoscenda hic est ellipsis tum subjecti (γλωσσα), tum Verbi substantivi (εστι). Qua semel admissa, nil prohibet quominus verba *plena veneno mortifero* per *appositionem* ad subauditum subjectum dicta putemus.

(1) Cf. *Gram. Græc.* §. 41. pag. 283. γ.

Pro *ακαταςχετον*, quod in Complutensi editione est, Vulgatus auctor legit *ακαταστατον*. Quæ lectio, quamvis auctoritate alteri haud adeo præstet, melius tamen cum insequentibus cohæret, atque etiam difficultatem linguam coercendi melius suadet. — Metaphora illa *veneni lethiferi* recte exprimit teterrima mala quæ lingua inferre nata est, corporis nempe et animæ mortem procurare valens.

℣. 9-12. In ipsa benedi-
cimus Deum et Patrem : et
in ipsa maledicimus homi-
nes, qui ad similitudinem
Dei facti sunt. 10 Ex ipso ore
procedit benedictio, et ma-
ledictio. Non oportet, fratres
mei, hæc ita fieri. 11 Num-
quid fons de eodem fora-
mine emanat dulcem, et
amaram aquam? 12 Numquid
potest, fratres mei, ficus
uvas facere, aut vitis ficus?
Sic neque salsa dulcem po-
test facere aquam.

℣. 9-12. Ἐν αὐτῇ εὐλογοῦ-
μεν τὸν Θεὸν καὶ Πατέρα, καὶ
ἐν αὐτῇ καταρώμεθα τοὺς
ἀνθρώπους τοὺς καθ᾽ ὁμοίωσιν
Θεοῦ γεγονότας· 10 ἐκ τοῦ αὐτοῦ
στόματος ἐξέρχεται εὐλογία
καὶ κατάρα. Οὐ χρὴ, ἀδελφοί
μου ἀγαπητοὶ, ταῦτα οὕτω
γίνεσθαι. 11 Μήτι ἡ πηγὴ ἐκ
τῆς αὐτῆς ὀπῆς βρύει τὸ γλυκὺ
καὶ τὸ πικρόν; 12 Μὴ δύναται,
ἀδελφοί μου, συκῆ ἐλαίας ποιῆ-
σαι, ἢ ἄμπελος σῦκα; Οὕτως
οὐδεμία πηγὴ [a] ἁλικὸν καὶ γλυ-
κὺ ποιῆσαι ὕδωρ.

Paraphrasis. *Per ipsam Deum eumque Patrem collaudamus ac deprecamur, atque per ipsam hominibus, qui ad similitudinem Dei facti sunt, mala imprecamur. Ex eodem ore benedictio et maledictio procedunt. Non possunt, fratres dilecti, talia fieri. Numquid enim fons ex eodem foramine dulcem fundit et amaram? Numquid potest, fratres, ficus olivas proferre, aut vitis ficus? Nec aqua salsa dulcis effici potest.*

VARIANS LECTIO.

a) Lectioni Complutensi *ουδεμια πηγη αλικον και γλυκυ ποιησαι υδωρ* præferenda est illa *ουτε αλυκον γλυκυ ποιησαι υδωρ*, quam exhibent ABG et versiones antiquæ plurimæ, syriaca videlicet, itala, vulgata, arabica et coptica. Eam pariter suadent interna argumenta : nam et difficilior est isthæc lectio, et, nisi admittatur, tautologica prorsus evadit oratio (cf. *v.* 11).— Utrum particula *ουτως* legenda sit necne, vix definiri potest.

℣. 9-10. *In ipsa benedicimus Deum et Patrem :* cet.) Prodigiosæ *instabilitatis* linguæ atque venenosæ ejus malitiæ præclarum specimen Apostolus exhibet. Eadem quippe lingua, qua ad Deum benedicendum usi sumus, ad ipsum in imagine sua exsecrandum mox abutimur! — Εν *de instrumento quo* (ut ב hebræorum), pro Dativo *instrumenti* Græcorum. — Ευλογειν Θεον, ut hebr. בֵּרֵךְ, est generatim loqui in honorem divinum, sive deprecando, sive gratias agendo, sive collaudando. — Voces Θεον και Πατερα non duas distinctas personas significare, ideoque unum et eumdem esse qui *Deus* et *Pater* hic dicitur, ex eo liquet quod Apostolus voci πατερα Articulum non apposuit (1). — Καταρασθαι proprie est *imprecari mala*. « Apud HOMERUM ἀρᾶσθαι est *precari*, quique pro populo orabat, *sacerdos*, ἀρητήρ. Apud HOMERO recentiores significat verbum *male precari*, *diris devovere*, qua vi semper καταρᾶσθαι ponitur, apud Atticos scriptores junctum *tertio* Casui, in Novo Testamento plerumque *quarto*.» VALCKENARIUS ad Luc. VI. 28.

qui ad similitudinem Dei facti sunt.) Similitudinis Dei quæ in homine relucet Apostolus hic consulto meminit, ut maledictionis hujus deformitas melius innotescat, ac proinde quantum monstrum sit lingua magis perspectum habeant.

In quo porro sita sit illa *imago* sive *similitudo Dei*, ad quam hominem factum esse, tum ex præsenti loco, tum ex pluribus aliis Scrip-

(1) Cf. *Gram. Græc.* §. 18. pag. 123 sqq.

turarum testimoniis (1) abunde constat, magna quondam controversia fuit. Plurimæ propositæ fuerunt sententiæ, quarum singulæ quidem exclusoriæ nimis videntur, sed simul sumptæ veram hujusce quæstionis solutionem præbent. In toto quippe homine divini Conditoris relucet imago. Et ipsum quidem humanum corpus, vultu sursum spectans, specie et majestate sua cunctis animalibus præstans, nescio quid augusti ac divinæ majestati consimilis præ se fert. Anima vero præsertim, simplicitate, libertate atque præcellentissimis dotibus suis; sed maxime donis illis supernaturalibus quibus ex speciali gratia divinitus exornata est, similitudinem Dei refert. Quod argumentum latius evolvere SS. Patres ac præstantissimi Theologi, quorum plures (2) ipsius Sanctissimæ Trinitatis imaginem in anima humana relucere docent. — Exinde vero manifestum est imaginem Dei in homine per peccatum non prorsus deletam fuisse. Illa quidem quæ in donis supernaturalibus reposita est in homine non regenerato desideratur. Cum tamen homo naturam suam cum propriis facultatibus, simulque liberum arbitrium, *viribus licet attenuatum, et inclinatum*, etiam post peccatum servaverit; imaginem Dei quæ in ipsis insculpta est, licet non adeo perfectam ac in statu innocentiæ, pariter retinuit. Nec solum in homine lapso et peccatore, verum etiam, uti recte animadvertit Estius *in lib. II. sent. dist.* 16. §. 7, in damnatis animabus atque dæmonibus imaginem Dei perseverare fatendum est : immo nec umquam deleri posse. Unde S. Bernardus *Serm. I de annunciat. Domini :* « Imago, inquit, in gehenna ipsa videri poterit, non exuri, ardere, sed non deleri, et quocumque perveniat anima, simul et ipsa erit. »

℣. 10. *Ex ipso ore procedit benedictio, et maledictio.*) Εκ του αὐτου hic valet *ex eodem* (3), ut *v.* 11 της αὐτης, ubi Vulgata recte vertit (*de eodem*). Qui pronominis usus in libris N. T. haud infrequens est. Cf. Matt. XXVI. 44; Heb. I. 12; etc. — In locutione

(1) Cf. Gen. I. 26. 27; IX. 6.—Sap. II. 23.—Eccli. XVII. 1.— 1 Cor. XI. 7.

(2) Cf. S. Gregorius Nyssenus, De eo, quid sit, *ad imaginem Dei et similitudinem.* —S. Augustinus, *De Trinit.* l. IX. capp. 2. 3. 4. 5. 12. l. XV. cap. 14.— S. Anselmus, *Monolog.* cap. XXXI.— S. Thomas, *Sum. Theol.* p. I. q. 93. art. 7.— S. Bonaventura, *Itinerar.* cap. III. — Hugo de S. Victore, *De Sacr. fidei Christ.* lib. I. part. II. cap. 6. et part. III. capp. 11, 20, 21, 28. — Bossuet, *VI*e *Élévation sur les mystères*, 2me semaine.

(3) Vid. Hermannum *ad Vigerum.* pag. 735.

ου χρη figuram illam rhetoricam agnoveris quam *Litoten* (λιτοτην) vocant, quaque negando contrarium plus significatur.

ỷ. 11-12. *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem*, cet.) Quam insulsa sit atque ipsi naturæ contraria istbæc agendi ratio, quadruplici similitudine Apostolus vivide denuntiat. Prima porro desumitur ex fonte qui ex eodem foramine non fundit dulcem et amaram aquam.

ỷ. 12. *Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere?* cet.) Secundam similitudinem ducit Apostolus ex ficu quæ olivas proferre non potest, tertiamque ex vite quæ ficus non producit. — Ubi Vulgata legit *uvas*, græce est *ελαιας* i. e. *olivas*. Beda certe legit *olivas*, non secus ac vetus Itala; quod et in antiquis quibusdam manuscriptis exemplaribus occurrere Estius testatur. Ceterum a voce *olivas* ad *uvas* non adeo difficilis erat librariis transitus. — *Facere fructus* refert hebraicum עֲשׂוֹת פְּרִי valetque *proferre*, *producere fructus*.

Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.) Quartam similitudinem Apostolo præbet aqua illa quæ, natura salsa, dulcis effici nequit. Sensum perspicuum facit Syrus vertendo : ܗܟܢܐ ܐܦ ܠܐ ܡܝܐ ܡܠܝܚܐ ܡܫܟܚܝܢ ܕܢܗܘܘܢ ܚܠܝܐ ⁘ h. e. *Sic etiam aquæ salsæ non possunt fieri dulces.*

ỷ. 13-16. Quis sapiens, et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.
14 Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris : nolite gloriari, et mendaces esse

ỷ. 13-16. Εἴ τις σοφὸς καὶ ἐπιστήμων ἐν ὑμῖν, δειξάτω ἐκ τῆς καλῆς ἀναστροφῆς τὰ ἔργα αὐτοῦ ἐν πραΰτητι σοφίας.
14 Εἰ δὲ ζῆλον πικρὸν ἔχετε καὶ ἐριθείαν ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν, μὴ κατακαυχᾶσθε καὶ ψεύδεσθε κατὰ τῆς ἀληθείας.
15 Οὐκ ἔστιν αὕτη ἡ σοφία

adversus veritatem. [15] non est enim ista sapientia desursum descendens : sed terrena, animalis, diabolica. [16] Ubi enim zelus et contentio : ibi inconstantia, et omne opus pravum.

ἄνωθεν κατερχομένη, ἀλλ' ἐπίγειος, ψυχικὴ, δαιμονιώδης. [16] Ὅπου γὰρ ζῆλος καὶ ἐριθεία, ἐκεῖ ἀκαταστασία καὶ πᾶν φαῦλον πρᾶγμα.

Paraphrasis. *Estne aliquis inter vos sapientia et prudentia illa, quæ magistro inesse debet, præditus? Ostendat ipse ex recta conversatione opera sua cum mansuetudine, quæ veræ sapientiæ propria est, conjuncta. Si vero invidiam et vitiosam æmulationem in animo geritis, nolite vos sapientes reputare : quod impudens gloriatio atque mendacium foret. Non enim ea est hæc sapientia vestra quæ desursum sit, sed terrena, humana dico, immo et diabolica. Nam ubicumque viget invidiosa æmulatio, ibi quoque perturbatio et omne genus operis pravi : quod utrumque aversatur Deus.*

VARIANS LECTIO.

a) Particula εἰ omni auctoritate destituitur, ideoque phrasis Τίς.... ἐν ὑμῖν, interrogative efferenda est.

℣. 13. *Quis sapiens, et disciplinatus inter vos?*) Hucusque Apostolus auditores suos ab inordinato magisterii capessendi desiderio, propositis hujusce muneris periculis, deterrere conatus est. Opportunam vero occasionem nactus, de facilitate in verbis delinquendi, deque vitiis linguæ generatim disseruit. Nunc porro, ad thema suum rever-

sus, quibusnam potissimum dotibus præcellere quis debeat, ut docendi munere rite fungatur, ipsos edocet. Ad hunc autem tractatum transit per hujusmodi interrogationem quæ viros hisce dotibus præditos perpaucos esse haud obscure innuat. Hanc enim interrogationem sensum *hypotheticum* hunc habere putaverim : *ponite aliquem esse inter vos sapientia et prudentia præditum : ostendat ille....*

Itaque dotes quas Apostolus ei, qui ad munus alios religionem edocendi aspirat, primario inesse debere non sine industria insinuat, hæ sunt : *sapientia* (σοφος) et *prudentia* (επιστημων). *Sapientiam* autem illam intellexerim quæ sita est in notitia, per causas superiores accepta (cf. *v.* 15), eorum quæ ad doctrinam religionis ac pietatis spectant; maximeque secretiorum et altiorum mysteriorum : cujus sapientiæ PAULUS in epistola sua prima ad Corinthios sæpius meminit. — Επιστημονα vero dixerim illum qui ea *prudentia* informatus est, quæ apprime novit quando et quem sermonem proferre debeat ad alios erudiendos. Επιστημων sane, in N. T. non amplius comparens, pluries in versione septuaginta-virali respondet hebraico נָבוֹן, *intelligens*, *prudens*, a radice בִּין, *animum advertit.* Vulgatus auctor, Isai. V. 21, επιστημονες *prudentes* ipse vertit.

Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.) Signa quibus dignosci queat hæc sapientia, utrum vera sit atque divina, Apostolus generatim tradit. Debet porro sapientia ex *operibus*, maximeque ex *mansuetudine* innotescere. « Dicitur autem quis *ostendere ex bona conversatione operationem suam* sive *opera sua* (græce enim est τα εργα αυτου) : dum bene conversando facit opera sua lucere coram hominibus juxta præceptum Domini, vel maxime pertinens ad magistros : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est.* » ESTIUS ad h. l. — Εx translata significatione hic dicitur de *statu, ex quo quis*, dum in eo statu est, *agit* aliquid (1), ut 2 Cor. II. 4. — Αναστροφη (ex αναστρεφομαι, *me gero*) est *vitæ ratio*, quatenus factis et moribus conspicua fit. Quæ utique *recta* (καλη) erit, si ad præceptorum normam componatur. — Non sufficit igitur magistro sapientia *speculativa*, sed *practica* debet esse, ita ut ipsa humanam vitam secundum rationes divinas moderetur.

(1) *Gram. Græc.* §. 51. pag. 397. γ.

Mansuetudo sapientiæ (πραυτης σοφιας, Genitivus *Subjecti*) est mansuetudo sive lenitas quæ sapientiæ ita propria est, ut ab ipsa non possit abesse. Directe opponitur *iræ* illi quam Apostolus supra (cap. I. 19) commemorabat dicens : *tardus ad iram.* — Particulam *εν societatis* hic esse, ut Philip. I. 20 εν παση παρρησια, putaverim. — Nec est cur miremur Articulum vocibus πραυτης et σοφια adjunctum non fuisse. Nomina enim abstracta virtutum, sicut et vitiorum, absque Articulo scripta frequenter occurrunt.

℣. 14. *Quod si zelum amarum habetis, et contentiones* cet.) Declarat Apostolus defectum (δε) prædictæ mansuetudinis certissimum præbere argumentum, quod ibi non adsit vera sapientia, illa, dico, quæ desursum est et quæ in magistro requiritur. Indirecte vero magistros carpit, eosque quid vitare, quidque præstare debeant, non sine industria admonet : ideo enim a tertia ad secundam Personam transit.

Ζηλος proprie *studium intensum* (Rom. X. 2) denotat : sæpe tamen in malam partem sumitur, ad significandam *indignationem* aut *invidiam* (Act. XIII. 46). Qui significatus et in præsenti loco obtinet, ut satis patet ex epitheto πικρον, *acerbum.*— Εριθεια obscurior vox est quæ non unico sensu in libris N. T. usurpatur : nam modo *contentionem* et *rixam* notat (2 Cor. XII. 20 ; Gal. V. 20); modo *inobedientiam* aut *rebellionem* (Rom. II. 8). Hic vero quum in animo sedem habere dicatur, εριθειαν putaverim intelligendam quamdam animi affectionem quæ a ζηλῳ πικρῳ vix differat, *vitiosam* scilicet *æmulationem*. Eumdem sensum εριθεια obtinet Philip. I. 16 (1), ubi dictio hæc locutionem δια φθονον και εριν explicat. Vox porro εριθειαν construenda est cum Verbo εχετε, non secus ac ζηλον : ideo enim in *quarto* casu ponitur.

nolite gloriari, et mendaces esse adversus veritatem.) Sensus est : nolite falso gloriari jactantes vestram sapientiam, sicque mentiri adversus veritatem : nam revera sapientes non estis. Quod uberius statim declarabitur. — Particula μη, in priori membro posita, ad posterius (ψευδεσθε) pariter referri debet : quæ structura nonnumquam

(1) Cf. Beelen, *Comment. in epist. ad Philip.* ad h. l. Ed. 2. Lovanii, 1852.

occurrit. Cf. 2 Cor. XII. 21. Vicissim locutio κατα της αληθειας ad utrumque Verbum referenda est. De voce κατακαυχωμαι vid. supra pag. 126. — Est autem in locutione ψευδεσθαι κατα (de *directione hostili*) της αληθειας Pleonasmus qui vi non caret.

℣. 15. *Non est enim ista sapientia desursum descendens :*) In græco sententia hæc antecedenti *asyndetice* jungitur : dubitari tamen nequit quin ipsa rationem contineat illius quod Jacobus proxime innuit : *non estis vera sapientia imbuti, ideoque veritati detrahitis vosmetipsos sapientes prædicando.*

Demonstrativum αὕτη *adjective* hic adhibetur, ut ostendit Articulus Nomini præmissus. Αυτη η σοφια est sapientia illa quæ zelum amarum adjunctum habet et contentiones. — Participium κατερχομενη non est hic cum antegresso εστιν jungendum, sed ad modum Prædicati sumendum, non secus ac reliqua. Sensus igitur est : *non ea est hæc sapientia quæ desursum sit, sed* etc.

sed terrena, animalis, diabolica.) Interpretes plerique, D. Thomæ, *Sum. Theol.* 2. 2. *q.* 45. *ad* 1, vestigiis inhærentes, autumant cum Estio ad h. l., « sapientiam malorum magistrorum dici *terrenam*, quia servit avaritiæ, quæ circa res terrenas versatur : dici *animalem*, quia servit voluptatibus carnis : dici *diabolicam*, quia servit ambitioni et superbiæ, quod proprie diabolicum est vitium. Itaque hic observare esse tripartitam divisionem mundanæ sapientiæ : sicut apud Joh. 1 Epist. II. 16 : *omne quod in mundo est*, trifariam dividitur, in *concupiscentiam carnis, et concupiscentiam oculorum et superbiam vitæ.* Nam concupiscentiam oculorum spectat sapientia terrena; concupiscentiam carnis, sapientia animalis; et superbiam vitæ, sapientia diabolica. »

Verumtamen, interpretum illorum venia, ingenue dicam hanc ipsorum interpretationem, quantumvis acutam, a longiori petitam, et Apostoli menti parum consentaneam videri. Primum enim talem verbis sacris significatum tribuit, qualis in Scriptura nullibi occurrit : notum autem est non licere metaphoras pro lubitu cuique fingere. Deinde putaverim Jacobum in præsenti loco falsæ sapientiæ *affectus* describere minime intendisse : sed solummodo vitiatam ipsius *originem* origini veræ sapientiæ, quæ omni magistro inesse debet, *opponere* (αλλα) voluisse : quod

scopo suo sufficere duxerit. Neque valet argumentum ex eo ductum quod veræ et cœlestis sapientiæ dotes statim (*v.* 17) recenseantur. Nam opportunum quidem erat ut sapientiæ illius, quam cuique magistro inesse necessario debere prædicabat, attributa delinearet Apostolus; nec ideo oportebat ipsum falsæ sapientiæ, quam ab unoquoque procul abesse vult, pravos affectus describere. Indubia certe, quibus ipsa dignosceretur, versiculo præcedenti signa tradidit. — Video insuper interpretem syrum idem plane sensisse. Vertit enim : ܐܠܐ ܐܝܬܝܗ ܐܪܥܢܝܬܐ: ܡܢ ܡܚܫܒܬܐ ܕܢܦܫܐ ܘܡܢ ܫܐܕܐ. h. e. *sed est terrestris, ex cogitationibus animi, et ex dæmonibus.*

Itaque falsæ sapientiæ originem Apostolum per gradationem hic describere putaverim. Illam porro primum vocat επιγειον i. e. *terrestrem, in terra natam* (1) : quod magis definit per epitheton ψυχικην. PAULUS autem significare volens legem Mosaicam Deo auctori esse referendam, illam vocat νομον πνευματικον (Rom. VII. 14). Manna pariter, utpote quæ divinitus subministrabatur, βρωμα πνευματικον, *cibus spiritualis* ab ipso dicitur (1 Cor. X. 3). Cum autem ψυχικος πνευματικῳ sæpius opponatur, quidni dicamus ψυχικον in præsenti loco originem prorsus *humanam*, ideoque, uti Syrus intellexit, sapientiam *ex affectibus hominis* oriundam denotare? Et quidem huic nostræ interpretationi aliquid lucis affundere videtur locus parallelus PAULI 1 Cor. III. 3, 4 : *Cum enim sit inter vos zelus, et contentio : nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis?* — Illam tandem vocat δαιμονιωδη, i. e. *diabolicam* : in quantum scilicet affectus illi pravi e quibus falsa hæc sapientia ortum ducit, dæmonem auctorem habent.

℣. 16. *Ubi enim zelus et contentio : ibi* cet.) Probat (γαρ) hanc prædictam sapientiam, quatenus nempe invidiosam æmulationem conjunctam habet, nullo pacto a Deo venire posse. Ratio autem hæc in eo sita est quod : *ubicumque invidiosa viget æmulatio : ibi quoque perturbatio ac dissensio, atque omne genus operis pravi occurrat.* Porro *non est dissensionis* (ακαταστασιας) *Deus, sed pacis* (1 Cor. XIV. 33); et *qui facit peccatum ex diabolo est,.... omnis autem, qui natus est ex Deo, peccatum non facit* (1 Joh. III. 8. 9).

(1) TITTMANNUS, *de Syn. in N. T.* pag. 165 : επιγειος est qui in terra *est*, *fit*, *nascitur*, etc.

℣. 17-18. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non judicans, sine simulatione. [18] Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem.

℣. 17-18. Ἡ δὲ ἄνωθεν σοφία πρῶτον μὲν ἁγνή ἐστιν, ἔπειτα εἰρηνικὴ, ἐπιεικὴς, εὐπειθὴς, μεστὴ ἐλέους καὶ καρπῶν ἀγαθῶν, ἀδιάκριτος καὶ ἀνυπόκριτος. [18] Καρπὸς δὲ τῆς δικαιοσύνης ἐν εἰρήνῃ σπείρεται τοῖς ποιοῦσιν εἰρήνην.

Paraphrasis. *Sapientia vero quæ desursum venit, primum quidem est omnis vitii expers : est insuper pacis studiosa, modesta, bonis suasionibus facile consentiens, plena miserationis affectibus et fructibus, nec personarum acceptionem nec simulationem admittens. Fructus porro debitus, pax inquam, seminatur et præparatur iis qui pacifici fuerint.*

℣. 17. *Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est*, cet.) Opponit (δε) nunc iis quæ inde a vers. 14 de falsa sapientia prædicavit, dotes atque characteres quibus eminet ac dignoscitur cœlestis et vera sapientia. Indirecte vero auditores suos simul admonet quales exsistere debeant, si vere sapientes esse et haberi, atque proinde ad munus Religionem edocendi legitime et absque periculo aspirare velint.

Μεν hic ponitur non sequente δε. Notat porro Devarius (1) « nonnumquam fieri, ut μεν sine δε subsequente non ad sejungenda differentia seu diversa vel opposita adhibeatur, sed per se posita sit habeatque vim simpliciter περιγραφικὴν et περιοριστικὴν » (h. e. *vim circumscribendi*). Cf. Rom. X. 1 ; Act. XIX. 4. — Epitheton αγνη quod

(1) *De græcæ linguæ particulis*, cap. XIII. Lipsiæ, 1842.

ex adverso respondere videtur verbis illis *v.* 16, *omne opus pravum*, in generalissima sua notione intellexerim, ita ut valeat *nullo vitio contaminata;* quo sensu adhibetur 2 Cor. VII. 11; 1 Joh. III. 3.

Epitheta vero quæ per *επειτα* inducuntur, maximam partem *τῃ ακαταστασιᾳ* directe opponi putaverim : omnia quippe ad pacem et mansuetudinem plus minusve collineare videntur. — Επιεικης (*modesta*) qualitas est *mitis*, *lenis clementisque animi*. Hanc latini *humanitatem* (1) et *modestiam vitæ* (2) vocarunt. — Ευπειθης (*suadibilis*) is dicitur qui rationibus idoneis se facile persuaderi sinit.

bonis consentiens.) « Hæc pars nec in græco est nec syriaco. Quidam etiam vetusti codices Latini non habent. Verisimile est, huc ascriptam ex alia translatione, in qua pro vocabulo *suadibilis*, legebatur, *bonis consentiens*. Nam græca vox *ευπειθης* etiam hanc interpretationem non respuit ; ut *bonis consentire*, sit acquiescere bonorum monitis et consiliis. » Hæc Estius ad h. l.

non judicans.) Græce est *αδιακριτος* (*α* priv. et *διακρινομαι*) quod proprie sonat : *indiscretus*, *qui discerni nequit*. Cum tamen Verbalia in *τος* exeuntia, quamquam communiter *Passive* significant, non raro tamen *activo sensu* occurrant, *αδιακριτος* eum qui *personarum discrimen non facit* designare potest. Et hic sensus præsenti tractatui optime convenit. Addiderim Apostolum de personarum acceptione supra (cap. I. *v.* 4) sermonem faciens, ipsum verbum *διακρινομαι* usurpasse. Nec aliter intellexerit Syrus, quippe qui vertit : ܘܦܐܐ ܠܐ ܢܣܒܐ q. e. *et vultus non accipiens*. — Nisi dicere malueris *αδιακριτον* hic eum denotare qui *a litibus alienus est*. Nam *διακρινεσθαι litigare* etiam sonat. Hæc tamen sapientiæ qualitas sufficienter declarata fuit cum diceretur *pacifica*, *modesta*, *suadibilis*. — Jam notavit Estius sensum quem Vulgata refert (*non judicans*), ex dictione græca nonnisi ægre posse accipi.

℣. 18. ***Fructus autem justitiæ, in pace seminatur, facientibus pacem.***) Quum pacis studium iis qui docendi munere funguntur maxime necessarium edixerit, quodnam futurum sit hujusce

(1) Vid. Facciolati ad v. *humanitas*.
(2) Tacitus *Ann.* II. 82.

studii præmium, ad modum epiphonematis, opportune tradit. Modo (*v.* 16) pariter tradiderat, quisnam fructus ex amaro zelo et contentione oriatur.

Locutionem *καρπος δικαιοσυνης* (Articulus *της* omni auctoritate caret) hebraizare putaverim, quemadmodum locutio *βασιλευς δικαιοσυνης και ειρηνης* (Heb. VII. 2). In istiusmodi nempe locutionibus *adjectivi* loco substantivum *qualitatem* significans adhibetur in genitivo casu. Dicitur autem fructus ille *justus* (gallice, servata orationis forma, dicerem : *un fruit de justice*) quatenus colligitur tamquam merces. — *In pace* (*εν ειρηνῃ*) notat *in quo* repositus sit fructus ille sive merces. — Τοις *ποιουσιν ειρηνην*, pro quo Matt. V. 9, unica voce dixit : *εἰρηνοποιοί*, dativus est *commodi*. — Sensum igitur sub eleganti imagine traditum, liberius sic reddiderim : ii qui pacifici sunt, pacifice conversando sementem faciunt ex qua fructus meritus, in pace consistens, ipsis orietur.

CAPUT QUARTUM.

ARGUMENTUM. *In præcedenti Capite* JACOBUS *auditores suos admonens ne ad magisterium passim aspirarent, præcipuas, quibus magister præfulgere debeat, dotes recensuit : maximeque pacem et mansuetudinem ipsi necessarias esse declaravit. Opportunam porro inde occasionem nactus, fideles nunc generatim reprehendit quod huic paci servandæ non satis studeant, sed contentionibus atque litibus prave indulgeant. Qui tractatus non est sine aliqua relatione ad illud quod supra* (*cap.* I. 19) *tradidit monitum : tardus ad iram.—Itaque orditur Apostolus a detegenda earum quas carpit dissensionum radice, illamque in variis, quibus unusquisque abstrahitur, cupiditatibus sitam esse declarat* (1). *Externa igitur cupiditatum illarum certamina quomodo oriantur describit, et grande quod facessunt periculum denunciat* (2-5). *Huic tamen efficax ad ipsas superandas medium, gratiam scilicet, opponit* (6); *cujus assequendæ media tradit* (6-10). *Quo præstito, novum dissensionum fontem indigitat in disputatibus illis, ævo apostolico frequentissimis, de legalium observatione. Quem disputandi morem acriter impugnat, ejusque inordinationem demonstrat* (11-13). *Inde vero occasione accepta, brevitatem et incertitudinem vitæ inculcat, eosque carpit qui ita sibi proponere solent quasi vitæ et actionum suarum dominium haberent* (14-16). *Tandem universam quæ præcessit adhortationem generali quadam sententia, qua necessitatem operandi iterum inculcat, opportune claudit* (17).

ỳ. 1-3. Unde bella, et lites
in vobis? Nonne hinc? ex
concupiscentiis vestris, quæ
militant in membris vestris?
2 Concupiscitis, et non habetis : occiditis, et zelatis :
et non potestis adipisci :
litigatis, et belligeratis, et
non habetis, propter quod
non postulatis. 3 Petitis, et
non accipitis : eo quod male
petatis : ut in concupiscentiis vestris insumatis.

ỳ. 1-3. Πόθεν πόλεμοι καὶ
μάχαι ἐν ὑμῖν; Οὐκ ἐντεῦθεν,
ἐκ τῶν ἡδονῶν ὑμῶν τῶν στρατευομένων ἐν τοῖς μέλεσιν ὑμῶν;
2 Ἐπιθυμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε·
φονεύετε καὶ ζηλοῦτε, καὶ οὐ
δύνασθε ἐπιτυχεῖν· μάχεσθε
καὶ πολεμεῖτε. Καὶ [a] οὐκ ἔχετε
διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς.
3 Αἰτεῖτε, καὶ οὐ λαμβάνετε,
διότι κακῶς αἰτεῖσθε, ἵνα ἐν
ταῖς ἡδοναῖς ὑμῶν δαπανήσητε.

Paraphrasis. *Undenam contentiones, undenam lites inter vos exsurgant? Nonne exinde, ex pravis cupiditatibus, dico, quæ secum invicem pugnant in membris vestris? Concupiscitis, et non habetis unde cupiditates vestras expleatis; ideo ad necem usque iis æmulamini qui ea habent quæ vos habere cupitis, necdum sic assequi potestis id quod concupiscitis. Hinc ad lites et contentiones devenitis. Equidem non habetis omnia quibus indigetis : sed ideo ea non habetis quia a Deo non postulatis; aut etiam postulatis nec tamen accipitis, quia male petitis, eo scilicet fine ut ea quæ assecuti fueritis in cupiditates vestras impendatis.*

VARIANS LECTIO.

a) Particulam *καὶ* ad textum non pertinere videtur. Quamvis enim ipsam exhibeant plures antiquæ versiones, et minusculi non pauci, eamque legerint

THEOPHYLACTUS et OECUMENIUS; prorsus tamen abest a Cod. ABGK (C hac parte mutilus est), necnon a minusculis multis.

In præcedenti Capite JACOBUS auditores suos admonens ne Religionis mysteria et præcepta aliis tradendi munus indebite appeterent, præcipuas, quibus magister præfulgere debeat, dotes recensuit : pacem porro et mansuetudinem necessarias ipsi imprimis esse declaravit. Unde opportunam occasionem nactus, fideles nunc generatim reprehendit quod huic paci servandæ non satis studeant, sed contentionibus atque litibus prave indulgeant. Quarum dissensionum *radicem* detegens, *pericula* ex ipsa oritura denunciat, atque *media* ad eam resecandam adhibenda proponit. — Contentiones quidem et lites inter primos fideles haud infrequenter subortas fuisse, tum ex iis quæ supra Cap. II. 6 innuit Apostolus, tum maxime ex vivida PAULI 1 Cor. VI. 7 sqq. reprehensione constat. — Notandum autem est orationem JACOBI ex vehementiori affectu profectam, per totius fere hujus capitis decursum *asyndeticam* esse : quod quidem ad nexum sententiarum, qui ex particulis maxime pendet, statuendum non parum negotii interpreti facessit.

℣. 1. *Unde bella, et lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis* cet.) Per vividam interrogationem, quæ attentiorem animum provocet, iterum orditur. — Πολεμους et μαχας, sicut insequentia (*v.* 2) μαχεσθε et πολεμειτε, de contentionibus ac litibus inter privatos intelligenda esse ambigendum non videtur. Tota enim contexta oratio id clamat; nec aliunde vocabula obstant. Nam μαχην de simplici lite sæpius usurpari constat ex Joh. VI. 53; 2 Tim. II. 23. 24. Πολεμος quidem in N. T. hoc sensu non legitur, verum apud LXX interpretes pluries illa notione gaudet. Cf. Ps. 119. 7. — *Nonne hinc?* emphaseos causa ponitur, statimque explicatur per verba *ex concupiscentiis vestris*, græce εκ των ηδονων. Ἡδονη autem proprie est *voluptas*, ut Luc. VIII. 14 et 2 Pet. II. 13; hic vero *metonymice* adhibetur pro επιθυμιαις, sive *cupiditatibus* rerum voluptati inservientium. Et hunc sensum postulat tum ipsa natura rei de qua agitur, tum additum illud : *quæ militant* i. e. *secum invicem pugnant* (των στρατευομενων med.) *in membris vestris* (in homine

animali). Qua metaphora pulchre exprimitur vehementia cupiditatum illarum quæ bellum intestinum adversus spiritum continuo movent, hominemque ad illicita quævis cæco quasi impetu ferunt. — Εν de loco *in quo* pugna illa exercetur.

ỳ. 2. *Concupiscitis, et non habetis : occiditis, et zelatis :* cet.) Cupiditatum illarum externa certamina, contentiones videlicet et lites, quomodo oriantur, concisa eaque vividiori oratione Apostolus jam describit. — *Concupiscitis* (επιθυμειτε, absolute positum), ad nullam specialem concupiscentiam restringi debet, sed generalissime intelligendum est. — *Et non habetis*, quo nempe concupiscentias istas explere valeatis. Hinc

occiditis, et zelatis : et non potestis adipisci :) Pro φονευετε (occiditis), quod sane difficultate non caret, ERASMUS, auctoritate codicum posthabita, legendum putavit φθονειτε, *invidetis*. ESTIUS autem, postquam ERASMI temeritatem notavit, argumenta interna ipse colligit ad conficiendum JACOBUM verisimiliter non φονευετε sed φθονειτε scripsisse. Verum illa ESTII argumenta codicum et antiquarum versionum auctoritati præstare non valent. *Occisio* porro metaphorica intelligenda videtur : nec mirum, cum metaphoras Apostolus hic undique congerat. Intellexerim autem *occisionem ex animo*, quâ nempe necem alteri quis adprecetur, sive ut ipsius bona assequi valeat, sive ut is, quem sibi impedimento esse putat in desideriis suis explendis, e vivis tollatur. Nec adeo dissimili metaphora utitur PAULUS dum scribit ad Gal. V. 15 : *quod si invicem mordetis et comeditis*..... Quamdam insuper *Hendyadis* speciem in structura hujusce phraseos agnoverim, ita ut *occiditis et zelatis* positum sit pro *ad necem usque zelatis* seu *æmulamini*. Idem obtinet Rom. X. 20, ubi αποτολμα και λεγει valet *audacter dicit;* pariter Luc. VI. 48, ubi verba εσκαψε και εβαθυνη Vulgata scite vertit *fodit in altum*. — Neque tamen hac via *potestis adipisci* id quod tam ardenter concupiscitis : ideo tandem ad *lites et contentiones* devenitis, et propositum vestrum per vim assequi studetis.

et non habetis, propter quod non postulatis.) Nova periodus hic incipit quum particula και non sit legenda (vid. var. lect.).

Præoccupat autem Jacobus objectionem quam forsitan movissent ii quos alloquebatur. Varias quippe necessitates et indigentias prætendere poterant ad desideria illa, quæ Apostolus hic arguit, specietenus saltem cohonestanda. Itaque hanc exceptionem rejicit Apostolus : *non habetis*, inquit, *quia a Deo non postulatis*. Quod si ipsum rogaretis, necessaria omnia et utilia vobis præsto forent : Deus enim *dat omnibus affluenter, et non improperat* (cap. I. 5).

ỹ. 3. *Petitis, et non accipitis : eo quod male petatis :*) Objicientibus vero se quidem rogare, nec tamen quidquam accipere, Apostolus iterum respondet : *petitis et non accipitis, quia male petitis.* Ex quo autem capite *male* petant, statim declarat addendo : *ut in concupiscentiis vestris insumatis.* Eo nempe fine (ἵνα) petitis, ut ea, quæ assecuti fueritis, in cupiditates vestras explendas impendatis. — Δαπανᾶν εν τινι proprie est *sumptum facere in aliqua re*, adjecta sæpe *dispergendi* notione (Luc. XV. 14). — Ἐν de *eo quo quis occupatur, et in quo veluti est.* — Syrus quidem concise et recte vertit : ܐܝܟ ܕܬܬܪܣܘܢ ܪ̈ܓܝܓܬܟܘܢ h. e. *ut cupiditates vestras nutriatis.*

ỹ. 4-5. Adulteri nescitis quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur. 5 An putatis quia inaniter Scriptura dicat : Ad invidiam concupiscit Spiritus, qui habitat in vobis?

ỹ. 4-5. Μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες[a], οὐκ οἴδατε ὅτι ἡ φιλία τοῦ κόσμου ἔχθρα τοῦ Θεοῦ ἐστιν; Ὃς ἂν οὖν βουληθῇ φίλος εἶναι τοῦ κόσμου, ἐχθρὸς τοῦ Θεοῦ καθίσταται. 5 Ἢ δοκεῖτε ὅτι κενῶς ἡ Γραφὴ λέγει· Πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ τὸ πνεῦμα ὃ κατῴκησεν ἐν ἡμῖν;

Paraphrasis. *Adulteri, nescitis quod dilectio mundi ejusque voluptatum, inimicitia sit erga Deum? Quicumque igitur ea quæ mundi sunt diligere voluerit, inimicus Dei*

constituitur. Aut putatis Scripturam incassum proferre, quod ad zelotypiam usque desiderio nostri teneatur Spiritus Sanctus qui habitare dignatus est in nobis?

VARIANS LECTIO.

a) Pro μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες, quod textus Complutensis habet, legendum videtur cum TISCHENDORFIO μοιχαλίδες tantum : quam lectionem exhibent AB, pariterque unus sæc. XI minusculus. Pleræque versiones antiquæ utpote unicum verbum, licet masculini generis, habentes, huic lectioni, attenta ipsius difficultate, suffragari etiam dicendæ sunt.

℣. 4. *Adulteri nescitis quia amicitia hujus mundi, inimica est Dei?*) Prædictam voluntatem pravis cupiditatibus indulgendi Apostolus vehementissime carpit, ejusque pericula denunciat. Per hujusmodi vero interrogationem (οὐκ) procedit, quæ *affirmativum* exspectet responsum. — *Adulteros* eos vocat, utpote qui fidem Deo datam ipsi soli adhærendi non servantes, mundo simul adhærere volebant. Prophetæ nimirum societatem illam quæ Deum inter et populum Israeliticum divinitus inita fuerat, conjugii imagine adumbrare solebant : ita ut populum ad deos alienos declinantem mulieri adulteræ compararent. Hinc creberrima in V. T. formula : זָנָה אַחֲרֵי אֱלֹהִים אֲחֵרִים *scortatus est post deos alienos*. Hanc porro imaginem JACOBUS merito transfert ad animam fidelem, cujus mystica cum CHRISTO unio (1) sub N. L. longe strictior atque fœcundior est, quam societas Deum inter et Israelitas olim inita. — Quod ad vocem μοιχαλίδες attinet, hæc notat TISCHENDORFIUS (2) : « Oritur inde quod JACOBUS tali voce h. l. utitur orationi non minima gravitas, convenitque translato sensui, quem solum loco isti aptum habeo, multo ma-

(1) Cf. Rom. VI. 11; XII. 5. — 2 Cor. V. 17. — Eph. II. 22 et passim. — Gal. III. 27, 28; etc. — De hac unione agunt S. THOMAS Sum. p. 3. q. 8. art. 1. 2. 3; et PETAVIUS *de Theol. dogm.*, de Incarnat., lib. II. cap. 7. 8. 9 et lib. XII. cap. 17.
(2) *Novum Testamentum Græce*, ad h. l. — Editio 7. Lipsiæ, 1859.

gis si qui desciverunt a Dei fœdere omnes communiter *μοιχαλίδες* (cf. var. lect.) compellantur, quam si sexus ratio habetur et uterque curiose ponitur. — Græcos ceterum a simili loquendi ratione non abhorruisse, quibusdam exemplis ibidem docet.

Per *amicitiam mundi* (*φιλιαν του κοσμου* Genitivus *Objecti*), intellexerim *inordinatum rerum mundanarum amorem*. Re igitur non differt tota hæc sententia ab illa PAULI ad Rom. VIII. 7 : *Sapientia* (græce *φρονημα*, *studium*) *carnis inimica est Deo*. Cujus rationem subdit quæ hic pariter valet : *legi enim Dei non est subjecta* (nempe *φρονημα* carnis); *nec enim potest*. Nimirum in opposita tendunt *φρονημα* carnis, sicut et amicitia mundi, et Lex Dei. — Ἔχθρα substantiva vox est ut *Rom.* l. c.; Θεου est Genitivus *Objecti* : quæ relatio per Præpositionem εις et Accusativum ibidem exprimitur.

Quicumque ergo voluerit amicus esse sæculi cet.) h. e. *Quicumque voluerit ea quæ in mundo sunt diligere, inimicus Dei constituitur*. Nam, ut CHRISTUS testatur (Matt. VI. 24) : *Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum sustinebit, et alterum contemnet*. — Conclusio (ουν) est et applicatio sententiæ illius generalis quæ præcessit. — Κοσμου et Θεου iterum sunt Genitivi *Objecti*. — JACOBO prorsus concinit JOHANNES scribens (1 Ep. II. 15) : *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.*

℣. 5. *An putatis quia inaniter Scriptura dicat : Ad invidiam* cet.) Ad ejusmodi Scripturæ locum devenimus, qui interpretes non modice vexat, ab ipsis vicissim vexatissimus. Interpretationis porro difficultas ex triplici capite oritur. Nam et nexus cum antecedentibus non statim apparet. Deinde interpungendi ratio nonnihil negotii facessit : undecim quippe modi verba illa interpungendi proponuntur (1). Præcipua vero difficultas inde exsurgit quod verba heic recitata in scripturis V. T. nullibi occurrant. Hinc quæstio utrum Apostolus reapse voluerit Scripturam aliquam allegare, necne. Quod si Scripturam nullam recitare intenderit, ad quid demum referendum sit illud : *Scriptura dicit?* Si vero Scripturæ alicujus sensum saltem pro-

(1) Cf. THEILE, *Comment. in Epist. Jac.*, p. 216. — Lipsiæ 1833.

ferat, quænam sit illa Scriptura? Facile autem intelligitur, admissa etiam hac hypothesi, diversas et prorsus dissimiles interpretationes proponi debere, prout ad unum aut ad alterum Scripturæ locum JACOBUS respexisse existimetur.

Mens sane nobis non est varias illas sententias hic recensere : quod et longum et fastidiosum foret. ESTIUS quidem septem hujus loci expositiones enarrat; POTT vero non minus quam viginti, vel ex acatholicis profectas, tradit. Nos autem sensum illum qui et interpunctioni probatiori et contextæ orationi magis convenire videatur, breviter aperire conabimur.

Et primum quidem, ad nexum quod attinet, sententiam vers. 5 expressam cum versiculo antecedenti arctissime cohærere putaverim. Quod manifestum facere mihi videtur particula ἢ quæ proprie *disjunctiva conjunctio* est, ideoque *per se* nullam interrogativam vim habet : sed quoniam in duorum aut plurium membrorum interrogationibus plures res proponi solent, eas illa Particula proprie disjungit non aliter atque in affirmando. Hinc fit ut particula ἢ in interrogatione aliter non ponatur nisi in altero orationis membro (1). Itaque increpationem versiculo præcedenti inceptam Apostolus hic ita continuat, ut præsens sententia posterius membrum interrogationis disjunctivæ, cujus prius vers. 4 enunciatum est, efficiat, atque proinde per *aut* efferenda sit. Hæc est porro particulæ ἢ vis nativa.

Interpunctionem quam editio Complutensis, non secus ac Vulgata nostra, exhibet, omnino servandam arbitror : tum quia probatior apparet (2), tum quia ad perspicuitatem orationis maxime conducit.

Neque angustias illud nobis facere debet, quod nempe nulla in Scripturis reperiatur sententia quæ verbis hic allegatis proxime et adæquate respondeat. Notum quippe est Scriptores sacros formula *Scriptura dicit* non eo semper animo usos fuisse, ut certum aliquem locum verbotenus aut etiam quoad sensum completum recitare intenderent; sed nonnumquam ipsos ad plura simul loca respexisse, et per prædictam formulam nonnisi sententiam quamdam generalem inducere voluisse, quæ nimirum ad illa loca alluderet, eorumque

(1) *Gram. Græc.* §. 61. pag. 509. adnot. 1.

(2) Hanc interpunctionem sequuntur ed. ROB. STEPHANI a. 1550; ed. ELZEV. 1624; LACHMANNUS; ipsam pariter ediderat TISCHENDORFIUS a. 1849, sed eam immutavit in ed. 1859.

sensum quasi synthetice exprimeret. Et hoc quidem in præsenti loco obtinere videtur, ut et Joh. VII. 38 et 42. — Loca autem quæ Apostolus in mente habuerit, illa fuisse putaverim, in quibus Deus dilectionis hominum ineffabili quodam modo cupidissimus, atque omnis æmuli impatiens, ac omnis demum perfidiæ ultor strenuus *anthropopathice* prædicatur. Cf. Exod. XX. 5; XXXIV. 14 — Deuter. IV. 24. 25; VI. 5; XXXII. 21 — Nahum I. 2. etc., etc.

Itaque, quam ingratos erga Deum sese exhibeant ii, qui amicitia Dei, in ipsis habitare non dedignantis ipsorumque amorem vehementissime efflagitantis, posthabita, amicitiæ mundi sive pravæ concupiscentiæ, quæ inimica est Dei, studiis indulgent, Apostolus ex ipsa Scriptura comprobat. Simul vero pœnam viris hujusmodi imminentem denunciat : ideo enim dicit : *aut putatis quod incassum Scriptura dicat?* — Κενως, *incassum, sine effectu.*

Et quidem το πνευμα quin Spiritum Sanctum hic indicet, dubitandi locus vix esse potest. Etenim cum Articulus vocabulo πνευμα præponitur, de Spiritu S. vocem hanc communiter usurpari Didymi (*lib. I de Spir. S.*) regula est. Quod ceteroquin in præsenti loco obtinere omnino suadet additum illud : *qui habitat in vobis;* hoc enim, quoties de Spiritu prædicatur, Spiritum S. indigitare ex locis modo citandis manifestum est. Tandem Subjectum phraseos immediate sequentis : *majorem autem dat gratiam,* non aliud esse videtur quam το πνευμα de quo in præsenti agitur, quodque proinde Spiritum S. significare debet. — Επιποθειν, quod Denominativum est a ποθος *desiderium,* notat *aliquid vehementer desiderare, vehementi alicujus desiderio teneri.* Hæc est enim, inter alias, virtus Præpositionis επι in compositis, ut vim Verbi simplicis augeat. Quæ vis in præsenti adhuc intenditur per locutionem adverbialem προς φθονον, *invidiose* : προς veluti *de norma ad quam* (1).

Igitur adeo vehementi desiderio Spiritus S. *nos* (ημας enim ex insequenti ημιν supplendum est, ac Objectum Verbi constituit) prosequitur, ut ad zelotypiam usque procedat nullumque patiatur æmulum.

Quod autem invidia seu zelotypia Spiritui S. tribuatur, hoc per *anthropopatheiam* fit, uti sæpius in Scripturis obtinet (Cf. v. g. Ezech. V. 13). Ad quod rite intelligendum, aptissimum est illud

(1) Sic ap. Sophoclem, in *Electra v.* 372, προς οργην valet *iracunde.*

S. ISIDORI HISPALENSIS (*Sent. lib. I. cap. V*) monitum : « Nostro usu zelare Deus dicitur, vel dolere. Horum enim motuum apud Deum perturbatio nulla est, apud quem tranquillitas summa est. Non ita est præcipitanda mentis sententia, ut credamus posse Deo furoris vel mutationis accidere perturbationem : sed ipsam æquitatem justitiæ, qua reos punit, iram sacra lectio nominavit, quoniam quod judicantis æquum est, furor est et indignatio patientis. Ita ergo intelligere opus est et alias passiones, quas de affectione humana ducit Scriptura ad Deum, ut et juxta se incommutabilis sit credendus, et tamen pro causarum effectibus, ut facilius intelligatur, nostræ locutionis et mutabilitatis genere appelletur. Tam clementer Deus humanæ consulit infirmitati, ut quia eum sicut est non possumus agnoscere, nostræ locutionis more se ipsum nobis insinuet. Unde et membrorum nostrorum qualitatem habere describitur, et passionum indigna dici de se voluit, quatenus ad sua per nostra nos traheret, et dum condescendit nobis, consurgeremus ei. » Hactenus S. ISIDORUS.

Spiritus qui habitat in vobis.) De inhabitante Spiritu Sancto in animis fidelium sæpius mentio fit in libris N. T. : cf. Rom. VIII. 9. 11; 1 Cor. III. 16; VI. 19; Eph. II. 22; 2 Tim. I. 14. Qualis porro *inhabitatio* (ενοικησις) intelligenda sit, pro more suo doctissime tradit PETAVIUS : ex quo, ut nobilissimæ hujusce quæstionis conspectus saltem hic exhiberetur, quædam excerpere operæ pretium duximus.

« Cum fidelibus ac justis, ait (*de Trinit. lib. VIII. cap. IV. n. V*), impertiri communicarique Spiritus Sanctus legitur, non ipsamet illius persona tribui, sed ejus efficientia, videri potest; idque communis fere sensus habet eorum, qui in Patrum veterum lectione minus exercitati sunt. Quos qui attente pervestigare voluerit, intelliget occultum quemdam et inusitatum missionis communicationisque modum apud illos celebrari, quo Spiritus ille divinus in justorum sese animos insinuans, cum illis copulatur; eumque non *accidentarium*, ut ita dicam, esse, hoc est, qualitate dumtaxat illa cœlesti ac divina perfici, quam in pectora nostra diffundit idem cœlestium donorum largitor ac procreator Spiritus : sed οὐσιώδη, hoc est *substantialem*, ita ut substantia ipsa Spiritus Sancti nobiscum jungatur, nosque sanctos ac justos, ac Dei denique filios efficiat. Ac nonnullos etiam antiquorum illorum dicentes audiet, tantum istud tamque stupendum Dei benefi-

cium, tunc primum hominibus esse concessum, postquam Dei Filius homo factus ad usum hominum salutemque descendit: ut fructus iste sit adventus ac meritorum et sanguinis ipsius, veteris Testamenti justis hominibus nondum attributus, quibus *nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat glorificatus*, ut Evangelista JOHANNES scribit (VII. 39). »

« Neque vero, pergit PETAVIUS (*cap. VI. n. III*), eum hoc asserunt Patres, ipsam, qua justi sumus, sanctitatem, ac velut sanctificantem formam, esse Spiritum sanctum, eamque ἀμέσως, *nullo interposito medio*, sanctos ac Dei filios nos facere (quod per creaturam effici posse CYRILLUS negat); ideirco gratiam, et charitatem, hoc est creatas ποιότητας et virtutes excludi putandum est...... Utrumque enim intervenit : et Spiritus ipse sanctus, qui filios facit : adeo ut si nulla infunderetur creata qualitas, sua nos ipse substantia adoptivos filios efficeret : et *charitatis habitus* (1) *ipse, sive gratiæ*, quæ est vinculum quoddam sive nexus, quo cum animis nostris illa Spiritus sancti substantia copulatur. Neque tamen propterea non ἀμέσως, et proxime conjungitur : quemadmodum forma cum materia ἀμέσως itidem nectitur; etsi modus nescio quis intercedit ex multorum sententia, quem *unionem* vocant. »

Ad quæstionem porro : « utrum hæc in justis habitatio, et οὐσιώδης præsentia, propria sit personæ Spiritus sancti, an tribus personis conveniat : ut sit divinitatis ipsius et substantiæ, non personæ unius applicatio, quam propterea οὐσιώδη nominare solemus? » Respondet PETAVIUS (n. V) «.... Vulgo fere Theologi quadam accommodatione putant illam ἕνωσιν et habitationem in justis assignari Spiritui sancto; cum revera in omnes Personas competat..... (n. VI) Nostra quæ privatim sit opinio, vel non dico, quia rem nondum compertam satis habeo : vel hoc loco non dico. Quod autem ex antiquorum tot illis in duobus superioribus capitibus allatis testimoniis sequi videtur, id est ejusmodi. Illam cum justorum animis conjunctionem Spiritus sancti, sive statum adoptivorum filiorum, communi quidem Personis tribus con-

(1) Vel inde igitur liquet LIEBERMANN (*Tom. IV. pag.* 26. Ed. Mogunt. 1836), SCHWETZ (*op. cit. tom. II. pag.* 438. §. 99) et KNOLL (*op. cit. tom. IV. p.* 444) sententiam PETAVII, quam cum sententia PETRI LOMBARDI (*Sent. lib. I. dist.* 17) perperam confundunt, nullatenus assecutos fuisse.

venire divinitati : *sed quatenus in hypostasi sive persona inest Spiritus sancti :* adeo ut certa quædam ratio sit, qua se Spiritus sancti Persona sanctorum justorumque mentibus applicat, quæ ceteris Personis eodem modo non compctit..... Qualem esse aliquam tanta illa sacrorum voluminum, ac sanctorum Patrum auctoritas evincit : non tamen liquido nobis et aperte vim ejus et conditionem edisserunt. » Et sane, ut n. VIII tradit : « Pater ecce, atque Spiritus sanctus in homine Christo non minus manet quam Verbum : sed dissimilis est τῆς ἐνυπάρξεως modus. Verbum enim præter communem illum, quem cum reliquis eumdem habet, peculiarem alterum obtinet : ut sit formæ instar, divinum vel Deum potius facientis, et hunc Filium. Quippe non absolute et infinite Deus est; quod ipsius essentiæ οὐσιώδης conjunctio citra personam efficeret : sed *hic Deus*, hoc est *Filius* est, quod sola Filii hypostasis, tamquam forma, præstare potest. Sic in homine justo tres utique personæ habitant : sed solus Spiritus sanctus quasi forma est sanctificans, et adoptivum reddens sui communicatione filium. »

« Quinam *autem* substantiva illa Spiritus Sancti communicatio ab ea differat conjunctione cum homine Verbi Dei atque Filii, quæ unam ex ambabus naturis personam efficit : non est difficilis responsio, ait PETAVIUS *cap. VII. n. XII.* Ostendimus enim non semel, conjunctionem illam Spiritus Sancti neque φυσίκην neque ὑποστατίκην esse, hoc est neque *naturalem*, neque *personalem :* quasi una fiat ex ambobus natura vel persona. *Non enim quia et illi per adoptionis gratiam filii Dei sunt,* ait AUGUSTINUS (in Psalm. 67), *ideo quisquam illorum est unigenitus.* Neque enim ex personarum duarum copulatione unum aliquid per sese, sed κατα συμβεβηκὸς, potest effici, ut ex JOANNE DAMASCENO alibi dictum est. Quocirca Deus non est proprie ac naturaliter adoptivus Dei filius; neque quod multo consentaneum magis videretur, fit Spiritus Sanctus : sed homo est ad quamdam Divinitalis participationem suo modulo provectus. Quam idcirco Græci Theologi μετόχην vel μέθεξιν χετικην, *participationem habitudinis* vel *relativam* appellant. »

Variis porro similitudinibus veteres Patres Spiritus Sancti cum justorum animis conjunctionem, atque ἕνωσιν declarare conantur. Alii siquidem ita disputant (*cap. V. n. I*) : « Quemadmodum sigilli applicatione in cera, vel quavis alia molli ac tractabili re, imago

atque effigies exprimitur : sic admota Spiritus Sancti substantia ipsa, Dei in nobis formari similitudinem, quæ in sanctitate consistit. » Alii dicunt (*cap. VI. n. II.*) sic nobis applicari divinam substantiam « ut cum deauratur æs, aut lignum, ipsa auri substantia per sese cum materia copulatur, ejusque fit quodammodo forma. Aut cum vinum aqua diluitur, ambæ mutuo junguntur, ac sese permeant substantiæ, quantum corporum natura patitur. » CYRILLUS HIEROSOLYMITANUS, *Catech. XVII* (ibid. cap. V. n. XIV), similitudine ignis aptissime utitur. *Accipe*, ait, *exemplum corporeum, parvum quidem et facile, sed utile simplicioribus. Si ignis per ferri crassitudinem interius penetrans, totum illud ignem efficit, adeo ut quod erat frigidum fiat fervens, et quod nigrum erat, fiat splendidum : si ignis, cum sit corpus, in ferri corpus subiens, obstante nullo agit, quid miraris, si Spiritus Sanctus in intimos animæ recessus ingreditur?*

Huic autem quæstioni paulo diutius immorati sumus, quia, ut ad finem usque PETAVII (*cap. V. n. VIII*) verbis utar : *Rapit nos ad sese, ac sine satietate delectat tantæ rei ac tam suavis jucundæque recordatio.*

ỳ. 6-10. Majorem autem
dat gratiam. Propter quod
dicit : Deus superbis resistit,
humilibus autem dat
gratiam. [7] Subditi ergo estote
Deo, resistite autem
diabolo, et fugiet a vobis.
[8] Appropinquate Deo, et appropinquabit
vobis. Emundate
manus, peccatores :
et purificate corda, duplices
animo. [9] Miseri estote, et
lugete, et plorate : risus
vester in luctum converta-

ỳ. 6-10. Μείζονα δὲ δίδωσι
χάριν· διὸ λέγει· Κύριος
ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς
δὲ δίδωσι χάριν. [7] Ὑποτάγητε
οὖν τῷ Θεῷ· ἀντίστητε
τῷ διαβόλῳ, καὶ φεύξεται
ἀφ' ὑμῶν. [8] Ἐγγίσατε τῷ Θεῷ,
καὶ ἐγγιεῖ ὑμῖν. Καθαρίσατε
χεῖρας, ἁμαρτωλοί, καὶ ἁγνίσατε
καρδίας, δίψυχοι. [9] Ταλαιπωρήσατε
καὶ πενθήσατε καὶ
κλαύσατε· ὁ γέλως ὑμῶν εἰς
πένθος μεταστραφήτω, καὶ ἡ
χαρὰ εἰς κατήφειαν. [10] Ταπει-

tur, et gaudium in mœrorem.	νώθητε ἐνώπιον τοῦ Κυρίου,
10 Humiliamini in conspectu	καὶ ὑψώσει ὑμᾶς.
Domini, et exaltabit vos.	

Paraphrasis. *Verum, si vultis, majorem concupiscentiis vestris gratiam dat vobis Spiritus Sanctus. Ideo Scriptura dicit : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Itaque subjicite vos Deo ejusque mandatis : resistite diabolo et suggestionibus ejus, et fugiet a vobis confusus. Pia mente convertimini ad Deum, et ipse opem afferet vobis. Emundate manus vestras, peccatores, ab operibus pravis; munda facite corda vestra a cupiditatibus malis, viri Deum inter et mundum divisi. Ad hoc autem opera pœnitentiæ suscipite; lugete et plorate; risui vestro succedat luctus, et lætitiæ mœsta tristitia. Sic humiliate vos coram Domino, et ipse eriget et exaltabit vos.*

℣. 6. *Majorem autem dat gratiam.*) Contentionum causam in pravis cupiditatibus sitam esse Apostolus declaravit, eaque occasione cupiditatum illarum grande periculum denuntiavit. Nunc vero remedium ipsis opponit (δὲ), scilicet gratiam divinam, quam Spiritus S. impertitur, et ea quidem mensura qua cupiditatibus efficacior (μείζονα) sit. — Comparativus hic ita usurpatur, ut alterum membrum reticeatur, et ex contexta oratione intelligendum relinquatur. Quod in libris N. T. haud infrequenter obtinere jam supra (pag. 166) monuimus.

Propter quod dicit : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.) Quod asseruit Apostolus, nempe Spiritum S. gratiam ad resistendum pravis cupiditatibus impertiri, tali Scripturæ effato jam comprobat, quod simul innuat, qualiter dispositi esse debeamus si gratiam illam adipisci velimus.— Λέγει, scilicet ἡ γραφή : quæ Subjecti ellipsis frequens est in formulis Scripturæ locis recitandis inservientibus. Cf. Heb. I. 7; IV. 4; VII. 17.

Locus porro quem Jacobus hic recitat, ex Proverb. III. 34 juxta

versionem septuaginta-viralem verbotenus desumitur : nisi quod pro κυριος qui ibidem occurrit, et quem complutensis editio pariter exhibet, JACOBUS legit ο θεος, ut ex auctoritate omnium fere codicum constat. Septuaginta autem, verbis fere neglectis, generalem solummodo hebraicorum sensum referunt. Hebraice enim sic legitur : אִם־לַלֵּצִים הוּא יָלִיץ וְלַעֲנִיִּים יִתֶּן־חֵן quæ Vulgatus auctor scite vertit : *ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam.* Jam vero לֵץ (a לִיץ) *illusor* seu *irrisor* is dicitur qui omnia divina humanaque *contemnit :* quod utique nonnisi ex vesana *superbia* oriri potest. Ex altera parte υπερηφανος intelligitur is qui dotibus suis veris aut fictis ita *superbit* ut alios præ se *contemnat* (1). — Tales autem Deus *eludit*, ut hebraice habetur, dum fastosos eorum conatus irritos efficit, sicque sese ipsis *opponit* (αντιτασσεται med.). — Equidem עָנִי seu עָנָו *afflictum* proprie denotat, sed adjuncta plerumque notione animi demissi, pii et modesti, qui injuriam ferre mavult quam inferre (2) : qualis procul dubio esse non valet nisi ταπεινος, qui nimirum *modeste* et *humiliter* de seipso sentit. — נָתַן חֵן usitatissima formula est, de eo qui alteri *benevolentiam* seu *misericordiam præstat* usurpari solita. De eo autem qui hujus benevolentiæ particeps effectus est dicitur מָצָא חֵן *gratiam invenit* apud aliquem, i. e. *acceptus, carus et dilectus est illi.* Porro inter gratiam hac generaliori notione sumptam, et peculiarem illam gratiam (χαριν) internam, quam Apostolus hic adstruere intendit, relatio datur *causæ* et *effectus*. Verum igitur est, id quod modo monebamus, græca verba generalem hebraicorum sensum referre.

℣. 7. *Subditi ergo estote Deo, resistite autem diabolo*, cet.) Ex allegato Scripturæ testimonio *conclusionem* (ουν) ad praxim Apostolus eruit, hoc modo : quoniam Deus superbis resistit, et humilibus solummodo dat gratiam; si gratiam Dei assequi vultis, qua adversus cupiditates vestras reluctari valeatis, vere *humiles* sitis. Ad hoc autem sequentia præstetis necesse est. Imprimis *subditi estote Deo* (υποταγητε, Aor. 2. Pass. cum notione Media), i. e. *subjicite vos* Deo, ejusque mandatis obsequimini. — Econtra *resistite diabolo*, qui suggestionibus suis concupiscentiæ fomitem excitat et incendit : et *fugiet a vobis*

(1) TITTMANNUS, *de Synon. in N. T.*, pag. 73, sq.
(2) Cf. Lexion GESENII, edit. DRACH, ad h. v.

confusus ac debilitatus. Αντιστηναι, notante FABRO (in *Agonist.* lib. I. cap. XII), dicebantur etiam *pugiles qui contra adversarios invicti stabant.* Atque hoc sensu, sed metaphorice, vox αντιστηναι hic sumenda est, ut et Act. VI. 10 et Ephes. VI. 13. — Φευγειν απο *prægnanter* dictum est (ut Matth. III. 7), pro *fugere atque ita abscedere.* Quousque vero diabolus ab illo discedat quem adversum se invicte consistentem experitur, non una est SS. Patrum sententia. S. GREGORIUS (*Moral. l. III. cap. X. n.* 18) existimat « diabolum, quo valentius vincitur, eo ardentius ad insidias instigari, » ut qui viribus victus est, insidiis et dolis vincat. Illudque comprobat variis tentationibus quibus vir sanctus JOB a parte dæmonis obnoxius fuit. In hoc quidem plures Patres (1) consentientes habet : ex quorum sententia sequitur diabolum nonnisi post diuturna certamina et iteratas victorias fugari, nec nisi fere ad tempus. — Probabilius tamen dici putat D. THOMAS *Sum. p.* 1. *q.* 114. *art.* 5, diabolum non amplius tentare eum a quo superatus est, saltem usque ad aliquod tempus. Cujus duplicem rationem affert : unam ex divina clementia petitam, quæ si permittat paulisper tentare, tamen repellit propter infirmam naturam; alteram ex ipsa diaboli astutia ductam, qui nempe instare formidat, quia frequentius refugit triumphari.

℣. 8. *Appropinquate Deo, et appropinquabit vobis.*) Pergit Apostolus in enumerandis iis quæ præstare debeant ut vere humiles sint, sicque divinæ gratiæ participes efficiantur. — Εγγιζειν τῷ Θεῷ (Dativus *accessus*, moralis nempe), locutio hebraica est, qua dicitur *Deo appropinquare* (קָרַב seu נִגַּשׁ) tum qui ministerio templi fungitur (Ezech. XL. 46), tum qui ad Deum se convertit eumque pie colit (Soph. III. 2; Isai. XXIX. 13). Et hoc ultimo sensu locutio illa in præsenti loco intelligenda est, ut Hebr. VII. 19. Deus autem *appro-*

(1) Sic TERTULLIANUS, *de Pœnitentia, cap. VII* : « Sed enim, ait, pervicacissimus hostis ille numquam malitiæ suæ otium facit. Atquin tunc maxime sævit, cum hominem plane sentit liberatum; tunc plurimum accenditur dum extinguitur. » —S. CYPRIANUS, *Epist. V, n. III* (ed. Migne) : « Fortiorem quemque magis aggreditur, et acrior factus hoc ipso quod victus est, superantem superare conatur. » — S. AMBROSIUS, *in Luc. lib. IV. n.* 39 : « Non unum telum diabolus habet, frequentat spicula; ut aut præmio vincat, aut tædio. » Notandum tamen est ipsum *n.* 36 scripsisse diabolum « cedere solere veræ virtuti. Et si invidere non desinat, tamen instare formidat quia frequentius refugit triumphari. »

pinquare nobis eadem locutione hebraica dicitur, dum nobis *opem affert* (Thren. III. 56). — Cum præsenti sententia sensu prorsus convenit illud Zachar. I. 3 : *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum : et convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.*

« Porro appropinquamus Deo, ut recte animadvertit CORNELIUS A LAPIDE ad h. l., non puris naturæ et liberi arbitrii viribus, quasi iis nos præparemus ad Dei gratiam recipiendum : uti contendebant semipelagiani facientes gratiam pedissequam liberi arbitrii; sed præventi et excitati a Dei gratia. Hæc enim nostræ conversionis et accessus ad Deum est dux, et principium, uti definit Conc. Trid. sess. VI. cap. V. »

Emundate manus, peccatores : et purificate corda, duplices animo.) Quomodo igitur *Deo appropinquare* debeant, Apostolus hic tradit. Bene iterum CORNELIUS : « Per *manus* intelligit metonymice omne opus externum : hoc enim manibus fit et perpetratur; sicut per *corda* intelligit opus internum. *Manus* ergo significant externas actiones, *cor* internas affectiones : q. d. : Purificate corda ab omni prava cogitatione, machinatione, delectatione; ac vicissim et manus ab omni pravo opere, ut nec mali quidquam agatis, vel velitis. » — « *Peccatores* vocat, propter opera foris conspicua, quæ supra nominavit bella et lites. *Duplices* autem *animo* vocat, propter ancipites cordium affectiones et cogitationes, quibus fluctuabant inter amicitiam Dei et mundi. Volebant enim esse Dei amici, quo fides urgebat; sed cupiditatibus impliciti mundo valedicere nequibant. » Hæc ESTIUS.

℣. 9. *Miseri estote, et lugete, et plorate :* cet.) Opera pœnitentiæ, tum externa tum interna, ad hanc emundationem procurandam necessaria, vivida quadam gradatione JACOBUS recenset. *Miseri estote* (græce ταλαιπωρησατε) : proprie *labores et ærumnas suscipite, affligite vos* per opera pœnitentiæ, qualia sunt jejunia variæque corporis afflictationes. — *Lugete et plorate*, quæ sæpius in N. T. simul juncta leguntur, vehementem quemdam dolorem, externum maxime, denotant.

risus vester in luctum convertatur, et gaudium in mæ-

rorem.) Parallelismus, in Psalmis frequenter obvius, hic pariter agnoscendus videtur : ita tamen, ut prius membrum ad lætitiam et luctum externum, posterius vero ad gaudium et mœstitiam internam pressius respiciat. — Κατηφεια (a κατα et τα φαη, *lumina*, *oculi*) proprie est : *demissio vultus*, et per metonymiam *tristitia*, quæ vultu ad terram demisso sese prodit.

℣. 10. *Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos.*) Exhortationem suam claudit ipsos iterum, per modum epiphonematis, ad humilitatis exercitium generatim incitando, atque fructum inde colligendum declarando. — Ille porro coram Deo sese humiliaverit, qui, ut LUCÆ BRUGENSIS *in Matth. XXIII.* 12. verbis utar, « humiliter demisseque senserit de seipso; seipsum honore indignum judicaverit, adeoque nihil se reputaverit coram Deo, agnoscens se nihil boni habere proprium, sed a Deo omnia; ac proinde honores non ambiverit; nec oblatis fuerit elatus, sed usus ad utilitatem aliorum; denique infirmitatis suæ probe sibi conscius nihil sublime spiraverit.»

et exaltabit vos.) In præsenti quidem, gratiam qua victores diaboli ac amici Dei efficiamini, vobis impertiendo; in futuro autem, immarcessibili corona vos decorando. Hæc est pariter sententia CHRISTI: *Qui se humiliaverit, exaltabitur* (Matt. XXIII. 12); quam et PETRUS etiam expressit : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis* (1 Epist. V. 6).

℣. 11-13. Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, et judicat legem. Si autem judicas legem : non es factor legis, sed judex. 12 Unus est legislator, et judex, qui potest perdere,

℣. 11-12. Μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων, ἀδελφοί. Ὁ καταλαλῶν ἀδελφοῦ καὶ κρίνων τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ καταλαλεῖ νόμου, καὶ κρίνει νόμον. Εἰ δὲ νόμον κρίνεις, οὐκ εἶ ποιητὴς νόμου, ἀλλὰ κριτής. 12 Εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης[a], ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι.

et liberare (1). [13] Tu autem quis es, qui judicas proximum?

Σὺ δὲ τίς εἶ, ὃς κρίνεις τὸν ἕτερον [b];

Paraphrasis. *Sedulo cavete, fratres, ne vobis invicem obloquamini. Qui enim fratri obloquitur eumque criminatur, ipsi legi, quam frater ex conscientia servandam ducit, obtrectat, ipsamque legem tamquam malam traducit. Si autem legem condemnas, jam obsequium non præstas legi, sed judicium in ipsam exerces. Unus porro est legislator et judex, ille nempe qui potestatem habet salvandi et perdendi. Tu autem quis tandem es tu qui non dubitas proximum condemnare?*

VARIANS LECTIO.

a) Addenda hic sunt verba και κριτης cum AB, antiquis versionibus fere omnibus, et minusculis multis. Hæc pariter legerunt Didymus, Cyrillus Alexandrinus, Euthalius et Theophylactus.

b) Pro lectione ος κρινεις τον ετερον legunt ο κρινων τον πλησιον AB, versiones antiquæ plurimæ et Theophylactus.

℣. 11-12. Notum est non defuisse ævo apostolico ex Judæo-Christianis qui existimarent etiamnum observanda sibi esse ritualia quædam legis Mosaicæ præcepta. Et eos quidem qui, uti Galatæ, ritualia illa ita frequentabant ut legi virtutem justificandi tribuerent, ab hoc usu, tamquam adversario et destructivo Evangelii, acriter prohibebat Paulus. Iis vero qui Evangelii virtutem agnoscentes et

(1) Notandum est versiculorum partitionem, quæ inde a vers. 13 ad vers. 15 usque in Vulgata occurrit, a partitione textus græci nonnihil differre. Hanc autem, utpote quæ ad perspicuitatem orationis magis faciat, latinæ partitioni in præsenti prætulerim.

confitentes, ceremonias illas tamquam a Deo, non tamen ad hominis justificationem procurandam, institutas, pro imbecillitate sua et nimio legis Mosaicæ zelo adhuc retinebant, illud initio benigne indulserunt Apostoli. Plerique porro Christiani, melius edocti, præcepta illa, utpote nullam amplius obligationem inducentia, prætermittebant : et jure quidem. Nonnulli tamen eorum non ea, qua par erat, charitate fratres infirmos aliterque sentientes prosequebantur. Ipsos enim tamquam imbecilles atque Christianæ libertatis osores traducebant : isti vicissim contradictoribus suis non magis parcebant, sed violatæ legis eos insimulabant. Hine disputationes et iræ plurimæ.

Jam vero JACOBUM mutuas illas increpationes et disceptationes præ oculis hic habuisse, easque impugnare intendisse, haud arbitrario prorsus, ni fallor, conjeceris. Et sane mirum videretur, Apostolum Judæos alloquentem, et in ipsorum dissensiones ac lites earumque causas invehentem, causæ adeo frequentis nullam mentionem intulisse. Deinde non parvam inter præsens JACOBI ratiocinium et illa quæ PAULUS eadem de re *Rom. cap. XIV.* disputat, analogiam deprehendere mihi videor. Aliunde, quum de vitiis linguæ Apostolus fuse supra (cap. III. 1-12) disseruerit, cur, quæso, eamdem materiam tractandam hic iterum assumeret? Addiderim tandem admissa hac nostra sententia, omnia fere plana fieri, imprimisque probe intelligi quid sit *detrahere legi* et *judicare legem :* quarum locutionum explicationem, quæ non verbis quidem sed rebus constet, in aliis interpretationibus frustra quæsivi. Nec ESTIUM penitus latuit præsens hæc difficultas. Qui porro cum ipso dicunt *detrahere legi* idem esse ac *agere contra legem*, isti quidem primum idem vocabulum (καταλαλειν) in eodem loco diversa prorsus significatione usurpare coguntur : quos carpit TITTMANNUS (*de Syn. in N. T.* pag. 73). Deinde, quum omne peccatum *contra legem* sit, nil *peculiare* peccato illi καταλαλιας hujusmodi interpretatio tribuit : quum tamen argumentatio Apostoli hoc innuere videatur. Necdum sic explicant quid sit *judicare legem.*

Fateor quidem unum esse quod me aliquatenus moveat : illud nimirum quod in hujusce interpretationis patrocinium nullum nomen allegare valeam. Quo tamen non obstante, iis, quas protulimus, rationibus innixus, prædictam sententiam modeste propono.

Nolite detrahere alterutrum fratres.) Sensus est : *cavete, fratres, ne vobis invicem* (αλληλων) *obloquamini.* Quod utique fiebat cum is, qui ritualibus legis se non amplius teneri recte judicabat, cum, qui ipsa sibi etiamnum observanda esse erronee putabat, tamquam Christianæ libertatis osorem traduceret; atque iste vicissim contradictorem suum violatæ legis mosaicæ reum contenderet. Quam *mutuam* seu *reciprocam* increpationem non obscure innuit vox αλληλων quæ pro latino *alterutrum* ponitur.

Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, cet.) Rationem affert Apostolus ad auditores suos ab illo vitio avertendos. Ratio autem hæc in eo sita est, quod ille qui prædicto modo fratri obloquitur atque ipsum condemnat, ipsi legi, cui frater sic agendo obedientiam præstat, obtrectet, ipsamque legem tamquam malam traducat. Enimvero is qui fratrem criminatur, quia ipse ritualia Moysis præcepta adhuc servat, præceptis illis quodammodo detrahit, et quasi mala condemnat. Vicissim vero is qui fratrem, aliunde beue edoetum ideoque præcepta illa juremerito negligentem, impugnat, libertati Christianæ detrahit, atque legem evangelicam quodammodo damnat, quasi nimirum ipsa suis asseclis peccandi licentiam faciat.

Κρινειν per se non valet nisi *judicem agere, judicium ferre.* Hujus autem judicii qualitas dijudicanda est ex contexta oratione : quæ quidem in præsenti loco vocem κρινειν de *ferendo judicio condemnatorio* intelligendam esse, ut Rom. II. 1; XIV. 3. 4, satis indicat.

Si autem judicas legem : non es factor legis, sed judex.) Incœptum ratiocinium *continuat* (δε) Apostolus, ostendens quam inordinata sit isthæc agendi ratio : cum homo qui legem simpliciter observare debet, judicem supra ipsam ita se constituat, sicque Dei, cujus solius propria est legislativa atque judiciaria potestas, vices usurpet (*v.* 12).

Equidem fatendum est verba illa : *non es factor legis*, aliquod negotium huic nostræ interpretationi facessere. Non poterat enim Apostolus Christiano vitio vertere, quod legem Mosaicam non servaret, quum ad id revera non amplius teneretur. Putaverim autem huic difficultati responderi posse, vim argumenti in eo maxime consistere quod hujusmodi viro exprobret ipsum legis *judicem* agere.

ỹ. 12. *Unus est legislator, et judex, qui potest perdere, et liberare.*) JACOBUS eos qui vices Dei in judicando usurpant redarguens, sanctionis quam Deus legibus et judiciis suis præbere valet, non inconsulto mentionem ingerit : sic enim pœnam, quæ ipsos manet, indirecte comminatur.

Sensus autem verborum est : *non sumus alii aliorum judices constituti, sed unus est qui legislator sit et judex, ille nempe qui potestatem habet salvandi et perdendi in æternum.* Eadem est fere PAULI, Rom. XIV. 10 ea de re disputantis, argumentandi ratio, licet aliis verbis expressa : *Tu autem,* ait, *quid judicas fratrem tuum? Aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.*

Ex præsentibus JACOBI verbis stolide argumentatus est CALVINUS adversus potestatem Ecclesiæ legislativam et judiciariam : quum tamen mira quadam contradictione, sectariis ceterum haud insolita, eamdem potestatem principibus civilibus agnosceret. Quasi CHRISTUS potestatis suæ Ecclesiam ejusque prælatos participes non fecisset, dum PETRO diceret : *quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis* (Matt. XVI. 19); et omnibus Apostolis : *qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit* (Luc. X. 16).

ỹ. 13. *Tu autem quis es, qui judicas proximum?*) Opponit jam (δὲ, quæ particula certo legenda est) supremo illi legislatori et judici hominem caducum et impotentem qui judicium in fratrem sibi arrogare præsumit : sicque eam, quam modo denunciavit, inordinationem exaggerat. Per interrogationem, cui responsum *directum* non præbet, procedit : quod sane vi et arte non caret : plus enim ita significat quam dicere potuisset. In sequenti tamen commate talia tradit quæ præsenti interrogationi *indirecte* respondeant.

ỹ. 13-16. Ecce nunc qui dicitis : Hodie, aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum

ỹ. 13-16. Ἄγε νῦν, οἱ λέγοντες· σήμερον καὶ [a] αὔριον πορευσώμεθα εἰς τήνδε τὴν πόλιν, καὶ ποιήσωμεν ἐκεῖ ἐνιαυτὸν ἕνα, καὶ ἐμπορευσώ-

faciemus : 14 qui ignoratis quid erit in crastino. 15 Quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum parens, et deinceps exterminabitur ; pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit. Et : Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. 16 Nunc autem exultatis in superbiis vestris. Omnis exultatio talis, maligna est.

μεθα, καὶ κερδήσωμεν 14 (οἵτινες οὐκ ἐπίστασθε τὸ τῆς αὔριον! ποία γὰρ ἡ ζωὴ ὑμῶν; ἀτμὶς γάρ ἔσται [b], ἡ πρὸς ὀλίγον φαινομένη, ἔπειτα δὲ καὶ ἀφανιζομένη), 15 ἀντὶ τοῦ λέγειν ὑμᾶς· ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν [c], καὶ ποιήσωμεν τοῦτο ἢ ἐκεῖνο. 16 Νῦν δὲ καυχᾶσθε ἐν ταῖς ἀλαζονείαις ὑμῶν. Πᾶσα καύχησις τοιαύτη πονηρά ἐστιν.

Paraphrasis. *Age nunc, qui dicere soletis : hodie aut cras proficiscemur in hancce illamve civitatem, et transigemus ibi annum integrum, et mercaturam faciemus, et lucrabimur (vos qui nescitis quid allatura sit crastina dies! Quid est enim vita vestra? nam vapor estis, vapor, inquam, qui ad breve tempus comparet, et illico evanescit!), quum potius dicere deberetis : si Dominus voluerit et vivemus, faciemus hoc vel illud..... Nunc vero gloriamini vobisque placetis in vestra jactantia. Omnis porro hujuscemodi jactabunda gloriatio prava est.*

VARIANS LECTIO.

a) Utrum cum editione complutensi **και αυριον**, an vero, quod Vulgata refert, **η αυριον** legendum sit, merito dubitaveris. Quamvis enim **και** occurrat in AGK, in minusculis multis, itemque apud Cyrillum et Theophylactum; **η** tamen legitur in vetustissimo codice B, necnon in antiquis versionibus Itala,

Syriaca, Sahidica, Coptica et Vulgata, atque in minusculis haud paucis. Et hæc quidem lectio contextæ orationi magis convenire videtur.

b) Pro εσται quod in textu complutensi legitur et auctoritate non caret, et εστιν quod cum G Vulgata nostra refert; Tischendorfius edidit εστε : quam quidem lectionem exhibet celeberrimus codex B cum nonnullis versionibus et minusculis fere quinquaginta.

c) Præsens comma Tischendorfius sic edidit : *Εαν ο κυριος θεληση και ζησομεν, και ποιησομεν τουτο η εκεινο.* Et recte, ut videtur. Sic enim legunt AB, versio Syriaca et codex latinus Corbejensis antiquissimus. Quod ad divisionem commatis attinet, illam insuper exhibent Cyrillus et antiquæ versiones pleræque cum ipsa Vulgata.

℣. 13. *Ecce nunc qui dicitis : Hodie, aut crastino ibimus* cet.) Opportunam occasionem nactus transit Apostolus ad redarguendum illud superbiæ seu arrogantiæ genus, quo nimirum homo, imbecillitatis et caducitatis suæ immemor, unum alterumve pro lubitu agere continuo sibi proponit, non secus ac si vitæ et actionum suarum dominus esset : quum tamen solius Dei sit de omnibus disponere. Nec ideo præcedentem sermonem prorsus abrumpit Jacobus : sed, prædictam superbiam retundendo, talia profert quæ propositæ modo interrogationi : *tu autem quis es, qui judicas proximum?* indirecte respondeant, et arrogantiam illius qui fratrem judicare præsumit magis demonstrent.

Ad hujus loci syntaxin quod attinet, monendum est orationem *anacoluthicam* esse, quum Verbum, cum quo *οι λεγοντες grammatice* construatur, non habeat. Putaverim autem Apostolum, quia *Protasis* vers. 13 et duobus seqq. expressa prolixior erat, *Apodosin* consulto omisisse, et vers. 16 novam periodum inchoasse, quæ *grammatice* quidem sententiæ vers. 15 traditæ *antithetice* (δε) respondet, *logice* vero prædictæ periodi Apodosin continet. Orationem hanc imperfectam esse Syrus optime perspexit, et ad illam perficiendam quædam de suo addidit. Græca enim *αγε νυν οι λεγοντες* sic interpretatur : ܡܢܐ ܕܝܢ ܐܡܪܢ ܥܠ ܐܝܠܝܢ ܕܐܡܪܝܢ. h. e. *quid vero dicam de iis qui dicunt*, cet.

Αγε particula est quæ hic *transitioni* simul et *compellationi* inservit : ipsius vim auget superaddita particula νυν (1). Αγε vero,

(1) Cf. Wahl. *Clavis*, ad voc. νυν, sub G.

ut et latinum *age*, cum plurali constructum etiam in oratione soluta occurrit. — Οι λεγοντες in *Vocativo* legendum est, quamvis *Nominativus* ponatur. Qui Nominativi usus apud Græcos, ut et apud Hebræos, haud infrequens est; ejusque exempla, etiam in alloquio, in N. T. nonnulla reperiuntur : cf. Matt. XXVII. 29; Joh. VIII. 10; cet. — Demonstrativum τηνδε hic valet Gallicum *telle ou telle* : quo sensu ipsum pariter usurpavit PLUTARCHUS, *Symp.* I. 6 : τηνδε την ημεραν, *tel ou tel jour* (1).—Verba quatuor in hoc versiculo occurrentia sive in *Futuro* legas (quæ quidem lectio potiori auctoritate gaudet), sive in *Conjunctivo adhortantis*, res eodem recidit. Oratio tamen vividior fit, majorque denotatur arrogantia, Futuro tempore adhibito. — Ποιειν, sequente nomine temporis, de *transigendo tempore* non semel in libris sacris occurrit. Cf. Act. XV. 33; XX. 3; 2 Cor. XI. 25, cet. Notat tamen VALCKENARIUS locutionem hanc Græcis elegantioribus insolentem esse, quamquam DEMOSTHENES invenitur hoc sensu semel dixisse ποιειν χρονον. Latini vero ab hoc usu non adeo abhorrent; dixit siquidem CICERO *ad Attic. V.* 20 : *Apameæ quinque dies morati... Iconii decem fecimus*.—In locutione ενιαυτον ενα, Nomen numerale non pro indefinito Pronomine τις ponitur, quod quandoque fit, sed propriam suam vim obtinet.

ỳ. 14. *qui ignoratis quid erit in crastino.*) Totum vers. 14, prout in textu græco componitur, intra parenthesim incluserim. In hac porro denunciat Apostolus simulque probat quam insolens sit isthæc loquendi ratio : cum homo, attenta vitæ fragilitate, ne crastinum quidem diem merito sibi polliceri queat.

De dictione το της αυριον notandum est, in hac et similibus dictionibus (v. g. το της συκης Matt. XXI. 2; τα της ειρηνης Rom. XIV. 19, cet.) nullam ellipsim esse; neque etiam eas otiosas circumlocutiones esse, sed potius elegantes quasdam de rebus *finitis infinite* loquendi rationes. Articulus in hisce dictionibus ad modum Pronominis Demonstrativi adhibetur. Inservit autem hujusmodi syntaxis ad exprimendam cognationem quamdam (v. g. οι του Ζεβεδαιου Joh. XXI. 2), aut etiam ad indicandum, pertinere aliquid, quocumque tandem modo, ad rem sive personam quæ *Genitivo* exprimitur (2).

(1) *Gram. Græc.* § 24. pag. 160. *adnot.* 2.
(2) *Ibid.* § 20, pag. 135, n. 3.

℣. 15. *Quæ est enim vita vestra? vapor est* cet.) Id quod asseruit : *qui ignoratis quid erit in crastino*, Apostolus *justificat* (*γαρ*), vivida usus interrogatione, cui qualis responsio danda esset, nemini dubium esse poterat. Celerum interrogationis suæ rationem (*γαρ*, quæ particula hic legenda videtur), eleganti similitudine adhibita, statim reddit. *Non enim estis*, ait, *nisi vapor, et quidem vapor qui ad exiguum tempus comparet, et deinde, fere dum conspicitur, evanescit.*

Notandum est Articulum præponi epitheticæ dictioni *προς ολιγον φαινομενη*, licet Nomen *ατμις*, cui additur, ipso careat. Hoc autem factum est quia hujus locutionis ope Nomen *infinitum* *ατμις* erat aliquo modo definiendum. Non enim de quocumque *vapore* sermo est, sed de tali qui statim fere evanescit.

pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit, cet.) Hæc verba cum vers. 13 jungenda sunt, et homines, tales quum sint, quomodo eloqui debeant, edocent. — *Αντι του λεγειν υμας* novum exemplum est structuræ in libris N. T. sæpius obviæ : Infinitivi scilicet *nominascentis* in Casu obliquo cum Præpositione juncti.

Quomodo legenda sit periodus : *εαν ο κυριος θελησῃ*, cet., in var. lect. diximus. Sensus autem est : *si Dominus voluerit et vivemus — faciemus hoc vel illud*. Nimirum particula *και* quæ ante *ποιησομεν* occurrit, nullam vim *conjunctivam* habet, sed ad modum ו Hebræorum, simpliciter inservit inducendæ orationis Apodosi, ut supra cap. III. 3. Eodem prorsus sensu interpres Syrus præsentem locum intellexit. Vertit enim : ܐܢ ܡܪܝܐ ܢܨܒܐ ܘܢܚܐ . ܢܥܒܕ ܗܕܐ ܐܘ ܗܝ quæ translationem, quam modo dedimus, verbotenus referunt. Nec mirari debemus *ζησομεν* in Futuro Indicativi una cum Conjunctivo legi : hæc enim structura nequaquam inaudita est : cf. Luc. XI. 5. (*εξει... και πορευσεται... και ειπῃ*).

Quod hic commendat JACOBUS, PAULUS in praxim pluries deducit : sæpius enim voluntatem suam divinæ voluntati expressis verbis subjicit. Cf. Act. XVIII. 21; Rom. I. 10; 1 Cor. IV. 19. XVI. 7, etc.

℣. 16. *Nunc autem exultatis in superbiis vestris.*) Opponit (*δε*) huic modestæ et opportunæ sentiendi atque loquendi rationi, illam quam nunc præ se ferunt superbam jactantiam : immo,

quod impudentiæ summum est, ipsam de jactantia quasi *gloriationem* (καυχασθε) : quam malam esse declarat Jacobus.

Αλαζονεια est *vana jactatio et arrogantia*. Plurali autem forma denotantur *varii* modi quibus illa jactatio se prodit. Cf. ea quæ diximus de voce προσωποληψιαις, pag. 104.

ỷ. 17. Scienti igitur bonum facere, et non facienti, peccatum est illi.

ỷ. 17. Εἰδότι οὖν καλὸν ποιεῖν καὶ μὴ ποιοῦντι, ἁμαρτία αὐτῷ ἐστιν.

Paraphrasis. *Itaque scienti bonum quod facere oportet, et nihilominus non facienti, omissio hæc in peccatum reputabitur.*

Ea quæ inde a cap. I. *v.* 22 tradidit, hac generali sententia, ad modum epiphonematis et *conclusionis* (ουν) Apostolus claudit. Hæc autem sententia re diversa non est ab illa quam suæ disputationi præmisit : *Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos.* Refert pariter sententiam Christi, quam Jacobus præ oculis habuerit : *ille servus, qui cognovit voluntatem domini sui,...... et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis* (Luc. XII. 47).

CAPUT QUINTUM.

ARGUMENTUM. *Divites, quorum immisericordiam et exactiones jam supra* (cap. II. 6. IV. 2) *obiter commemoraverat, in præsenti capite* JACOBUS *ex professo aggreditur. Præcipua igitur flagitia, ab ipsis admitti solita, vivida descriptione recenset, divinamque vindictam ipsis brevi rependendam, vividis iterum imaginibus usus, denunciat* (1-6). *Tum ad fideles a divitibus illis multis modis afflictos et oppressos orationem deflectit : ipsos blande solatur, et ad patientiam, maxime ob instantem Domini adventum, proposito insuper Prophetarum exemplo qui et ipsi varie vexati patientia usi sunt, enixe adhortatur* (7-11).

Absoluto vero, ut videtur, proprio epistolæ themate, antequam dicendi finem faciat, quædam CHRISTI *præcepta in mentem auditorum suorum breviter et absque ordine Apostolus revocat* (12-20). *Ea autem procul dubio selegerit quæ fidelibus in illis rerum adjunctis imprimis profutura senserit. Præcipua porro sunt : de vitando juramento, de Sacramento extremæ-unctionis in gravi infirmitate suscipiendo, de orando pro invicem, ac tandem de conversione fratrum a recta via aberrantium studiose procuranda.*

℣. 1. Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis.

℣. 1. Ἄγε νῦν, οἱ πλούσιοι, κλαύσατε ὀλολύζοντες ἐπὶ ταῖς ταλαιπωρίαις ὑμῶν ταῖς ἐπερχομέναις.

PARAPHRASIS. *Agite nunc, divites, plorate et ululate super calamitatibus quæ vobis imminent.*

Divitum in pauperes exactiones atque inhumanitatem Apostolus in superioribus (cap. II. 6; IV. 2) obiter jam commemoraverat. In præsenti vero hanc materiam ex professo tractat, et ita quidem ut in flagitia a divitibus admitti solita acerrime invehatur, divinamque propter ea vindictam quasi instantem vivide denunciet (1-6). In hac porro pericopa JACOBUS divites directe ac ferventer compellat, ipsorum crimina, congestis imaginibus, describit, salutaremque terrorem ipsis incutere nititur.

℣. 1. *Agite nunc divites, plorate ululantes* cet.) Sensus est : *Agite nunc, divites, flete et ululate super calamitatibus quæ vobis imminent.* — Vocem ὀλολύζειν, in N. T. semel tantum obviam, de *hymnis lætis et precibus, maxime mulierum, diebus festis cum ululatu factis*, Græci fere usurpabant (cf. HOM. *Od.* γ. 450; EURIPID. *Iphig. in Taur. v.* 1137) : apud seriores vero notionem *ejulandi* plerumque obtinet, et hoc sensu vocem illam LXX sæpius frequentant : Isai. X. 10. XIII. 6, etc. — Præpositio ἐπὶ post verba gaudium, mœrorem, aliosque animi affectus exprimentia sæpe adhibetur, inservitque inducendo objecto quod est *causa* illius gaudii aut mœroris. — Calamitates, quas Apostolus divitibus hic comminatur, de variis incommodis ex fortunæ inconstantia rerumque humanarum vicissitudinibus oriri solitis, plerique eorum qui a Rationalistarum partibus stant interpretantur. Interpreti autem catholico, qui necesse non habet Scripturas in alienos et arbitrarios sensus, ne supernaturale quid in ipsis offendat, detorquere, vix dubium esse potest quin calamitates istæ pœnæ in æterna vita luendæ intelligendæ sint. Id enim tota contexta oratio clamat, ut suo loco videbimus. Quamquam Apostolum flagella temporalia, quibus divites perversi etiam in hac vita

nonnumquam castigantur, exclusisse minime inde sequitur. Verum hæc, utpote remotiora nec adeo communia, ad divites coercendos nequaquam sufficiunt.

Vix moneamus opus est JACOBUM nonnisi divites justitiæ et charitatis immemores hic impetere. Neque, ut inscite blasphemavit CALVINUS, spem veniæ ipsis adimunt Apostoli verba, quantumvis dura : sed comminatio ejus, ut plerumque fit, *conditionate* est intelligenda : *nisi pœnitentiam egeritis.* Et ipsum quidem divites maxime præ oculis habuisse in exhortationibus illis quibus auditores suos ad pœnitentiam modo incitabat (cap. IV. 7-10), quis inficiabitur?

℣. 2-3. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt : et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. [3] Aurum, et argentum vestrum æruginavit : et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.

℣. 2-3. Ὁ πλοῦτος ὑμῶν σέσηπε, καὶ τὰ ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα γέγονεν. [3] Ὁ χρυσὸς ὑμῶν καὶ ὁ ἄργυρος κατίωται, καὶ ὁ ἰὸς αὐτῶν εἰς μαρτύριον ὑμῖν ἔσται, καὶ φάγεται τὰς σάρκας ὑμῶν ὡς πῦρ· ἐθησαυρίσατε ἐν ἐσχάταις ἡμέραις.

PARAPHRASIS. *Et merito quidem. Etenim uberrimæ fruges vestræ præ abundantia in horreis putrefactæ sunt; vestimenta vestra, utpote quæ præ multitudine vix semel gestari poterant, tinearum epulæ factæ sunt; pecunia vestra magnam partem, præ nimia copia, manibus diu haud versata, ærugine obducta est; et ærugo ejus testimonium adversum vos dicet, tenacitatem vestram redarguens, et tamquam ignis carnes vestras depascet et devorabit. Coacervastis vobis thesaurum divinæ iræ in ultima die in vos effundendæ.*

℣. 2. *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt : cet.*) Illarum quas

comminatus est pœnarum causas prolaturus, graviora flagitia a malis divitibus frequentius admissa jam describit, non quasi singulis singula adscribi debeant, sed alii aliud. Primo autem loco sordidam illam avaritiam recenset, quæ nempe omnis generis divitias præ nimia earum copia quasi computrescere potius sinit, quam eas in sublevandas pauperum necessitates expendat. Itaque varias divitiarum species perlustrat, et quomodo singulæ absque utilitate depereant, vividis metaphoris depingit.

Notandum imprimis est Perfecta, quæ in hoc commate occurrunt (idemque de Aoristis dixerim), non poni pro Præsentibus aut Futuris, uti nonnulli existimarunt, sed propriam suam vim obtinere. Apostolus quippe, vehementiori affectu raptus, Prophetarum more, vindictam quasi jam *præsentem* exhibet, ac proinde peccata, quæ ipsam promeruere, quasi jam nunc *perfecta* et *præterita* respicit. — Quamquam *πλουτος divitias* generatim denotat, putaverim tamen vocem illam in præsenti ad eas divitias quæ putredini obnoxiæ sunt, uberrimos puta terræ et arborum proventus, per *synecdochen* restringi debere : quod mihi suadet tripartita illa, quam Apostolus statuit, divitiarum distinctio. Id quoque postulare videtur verbum *σεσηπε*, *putrefactus est :* non sunt enim metaphoræ, duriores præsertim, absque necessitate multiplicandæ.

***et vestimenta vestra a tineis comesta sunt.*)** Græce : *et vestimenta vestra a tineis exesa* (*σητοβρωτα* a *σης tinea* et *βρωτος exesus*) *facta sunt :* quia nempe tanto numero præsto vobis erant, ut plurima eorum in arcis inclusa remanere diu deberent, sicque tinearum epulæ fierent. Quæ dum proferret Apostolus, pauperes cibo vestituque carentes procul dubio in mente habebat.

℣. 3. *Aurum, et argentum vestrum æruginavit :*) Sensus est: pecunia vestra quæ iterum præ nimia copia tota expendi non valebat nec tamen in pauperum usus erogabatur, magnam partem manibus diu haud versata, sed permixte jacens in arcis, colorem suum amisit et quasi rubigine obducta est (*κατιωται*).

Nescio cur a multis anxie hic quæratur an et quousque argentum et aurum rubigine corrumpi possint : cum non adeo urgenda sit metaphorica Apostoli oratio, qui nil aliud sibi præstituisse vide-

tur, quam vivide describere quomodo divites illi bona sua absque utilitate jacere aut etiam deperire sinerent, dum tamen ea in sublevandas egentium miserias expendere deberent.

et ærugo eorum in testimonium vobis erit.) h. e. ærugo illa in testimonium adversum vos erit coram tribunali Dei, tenacitatem vestram redarguens. — Εις *de effectu in quem* quid cedit, ut 1 Cor. XI. 17.— Μαρτυριον *testimonium* simpliciter dicit : quod utrum in bonam an vero, ut hic, in malam partem sumendum sit, ex contexta oratione dijudicandum est. — Υμιν Dativus *incommodi*.

et manducabit carnes vestras sicut ignis.) Utrum voces *sicut ignis* cum præcedentibus sint conjungendæ, uti Vulgata legit, an vero cum insequentibus, prout exhibet complutensis editio (cujus tamen interpunctionem in textu exprimendo pro judicio nostro immutavimus), ex auctoritate certo dijudicari non potest. Notum quippe est libros sacros N. T. pro more tunc vigente (qui mos in codice *Vaticano* B servatus est), absque interpunctione ab auctoribus suis fuisse conscriptos (1). Res igitur exegeticis rationibus definienda est. Lectio porro Vulgatæ, quam et TISCHENDORFIUS sequitur, contextæ orationi magis convenire videtur : syrus tamen interpres aliter intellexit, abjecta quidem particula ως.

Itaque ærugo illa non tantummodo *testis*, sed et *carnifex* erit : *manducabit* quippe *carnes sicut ignis*. Quibus verbis quid præcise exprimere voluerit Apostolus, iterum non liquet. Possunt siquidem verba illa metaphorica pœnam aliquam specialem avaris reservatam, juxta illud *Sapientiæ* XI. 17 : *per quæ peccat quis, per hæc et torquetur*, designare : v. g. cruciatus quos ipsis inferet divitiarum putrefactarum et inanium memoria, quibus utique iniquitates suas redimere, æternamque felicitatem sibi comparare facillime potuissent. Sed iis forsitan nil aliud declaratur quam pœna damnatis communis, cujus quidem causa talibus exstiterit prædicta avaritia sub æruginis imagine exhibita.

Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.) Vix dubi-

(1) Sic, ut exemplo utar, præsens JACOBI locus hoc modo legebatur : ...ΣΑΡΚΑΣΥΜΩΝΩΣΠΥΡΕΘΗΣΑΥΡΙΣΑΤΕ...

tari potest quin voces *vobis iram*, quas Vulgata legit, pro glossemate ex Rom. II. 5 desumpto sint habendæ. Non enim in græcis codicibus tantum desunt, sed nequidem in latinis omnibus occurrunt; nec ipsas legit AUGUSTINUS in *Speculo*. Ceterum Apostoli mentem glossema illud rite exprimit : nam in præsenti loco JACOBUS non alind intenderit, quam divitibus illis denunciare quod, thesauros his in terris, neglectis pauperibus, coacervando, iram in die judicii in se effundendam sibi coacervaverint. Neque huic interpretationi obstat quod dicatur *εν ημεραις*, non autem *εις ημερας* : nam locutioni *thesaurizastis* (iram) *in ultimis diebus* structuram *prægnantem* inesse recte dixeris, eamque proinde valere : *thesaurizastis* (iram) *effundendam in ultimis diebus*. Idem obtinet Rom. II. 5. — Locutio *εν ταις εσχαταις ημεραις* (*in ultimis diebus*) refert hebraicam hanc Prophetis solemnem : בְּאַחֲרִית הַיָּמִים h. e. *in extremitate dierum*. Hæc autem formula non unum idemque tempus ubique denotat. Nam et quandoque dies Messiæ sive initium novi Testamenti designat (Isai. II. 2; Hebr. I. 2); quandoque totam epocham, quæ ab adventu Messiæ ad finem usque mundi protenditur, notat. Hic vero, ut et Joh. VI. 24, et passim, de ipsa die extremi judicii locutionem hanc intelligere non dubitaverim.

℣. 4. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat : et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit.

℣. 4. Ἰδοὺ, ὁ μισθὸς τῶν ἐργατῶν τῶν ἀμησάντων τὰς χώρας ὑμῶν, ὁ ἀπεστερημένος ὑφ' ὑμῶν, κράζει· καὶ αἱ βοαὶ τῶν θερισάντων εἰς τὰ ὦτα Κυρίου σαβαὼθ εἰσεληλύθασιν.

PARAPHRASIS. *Ecce, merces operariis, qui campos vestros messuere, debita, at inique detenta a vobis, Dei vindictam clamat : et clamores messorum illorum in aures Domini Dei exercituum penetrarunt.*

℣. 4. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt* cet.) Aliud divitum scelus, et quidem valde nefandum, hic denunciat : illud

nempe quo merces operariis debita ipsis inique subtrahitur. Ex variis vero operariis illos potius qui segetes colligunt seligit, tum propter peculiares hujuscemodi laboris molestias, tum quia ad abundantiam divitibus procurandam propius concurrebant : quæ sane circumstantiæ divitum nequitiam magis in aperto ponunt. — Χωρα *agrum spatiosum* hic denotat ut Luc. XII. 16 ubi eamdem vocem interpres noster per *agrum* reddidit. Vox tamen *regio* hanc notionem nonnumquam etiam obtinet. — Quod autem per audacem quamdam *prosopopœiam* merces fraudata *ad Deum clamare* dicitur, hoc ejusmodi flagitii atrocitatem demonstrat. Hæc enim formula nonnisi de grandioribus sceleribus in Scripturis usurpatur : sic de *fratricidio* (Gen. IV. 10); de nefando *Sodomorum peccato* (Gen. XVIII. 20); de *oppressione* Israeliticæ gentis (Exod. II. 23).

et clamor eorum in aures Domini sabaoth introivit.) Græce : *et clamores messorum in aures Domini sabaoth intraverunt.* Qua phrasi divinæ vindictæ certitudo procul dubio inculcatur : eam insuper terribilem esse futuram satis innuit epitheton illud *sabaoth* de Domino prædicatum. Vox enim illa (quæ est ipsum vocabulum hebraicum græcis litteris conscriptum) ad divinam *omnipotentiam* suadendam maxime usurpatur; ideoque locutio יְהוָֹה צְבָאוֹת sæpius a LXX vertitur : *κύριος παντοκράτωρ*, *Dominus omnipotens* (cf. 2. Reg. V. 10; VII. 8, 26, etc.)

℣. 5. Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis.

℣. 5. Ἐτρυφήσατε ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ἐσπαταλήσατε· ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν ὡς [a] ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς.

PARAPHRASIS. *In deliciis vixistis super terram et luxuriati estis : saginastis corda vestra quæ pinguia forent in die mactationis.*

VARIANS LECTIO.

a) Particulam *ὡς* ad textum non pertinere haud temere suspicatus fueris :

nam non legitur in AB, nec in minusculis pluribus, inter quos Parisiensis unus, Barberinus alter, uterque Sæc. XI, eminent; nec eam exhibent versiones Itala, Vulgata et Coptica.

℣. 5. *Epulati estis super terram, et in luxuriis enutristis cet.*) Novum divitum flagitium Apostolus commemorat, vitam nempe eorum effusam et luxuriosam. — Structuram græcam interpres noster panlisper neglexit; græca enim sic sonant : *in deliciis vixistis* (ετρυφησατε) *super terram et luxuriati estis* (εσπαταλησατε) : *saginastis corda* etc. *Corda* autem dixerit Apostolus, et non *corpora*, ad connotandam *voluptatem* cui divites in epulis suis indulgebant.

in die occisionis.) Tria hæc vocabula non parvam difficultatem faciunt, et in iis explicandis interpretes maxime dissentiunt. Sunt etenim qui verba illa cum sequentibus conjungunt : quum autem ibidem de CHRISTO sermonem fieri existiment, *diem occisionis* intelligunt diem in quo CHRISTUS morti traditus est. Verum etiamsi defendi posset hæc versiculi sequentis interpretatio, quam quidem rejiciendam plura suadent, uti modo videbimus, necdum tamen prædicta conjunctio admitti valeret. Nam dura nimis videtur, et dum oratio vers. 6 ipsa gravatur et *tautologica* fere redditur, ultimum vers. 5 membrum omni nervo destituitur. Quid enim valet tunc illud *enutristis corda vestra* nude positum, quando jam præcessit longe fortior sententia; *in deliciis vixistis et luxuriati estis?*

Alii prædicta verba ad *v.* 5 pertinere recte judicant : commatis autem sensum hunc statuunt : *singulis diebus enutristis corda vestra quemadmodum in diebus festivis, quibus nempe offeruntur sacrificia, fieri solet.* Verum gratis assumunt isti particulam ως genuinam esse, cum, uti supra monuimus, probatior lectio eam ferre non videatur. Deinde, admissa hac interpretatione, nil iterum dicitur quod jam dictum non sit. Addiderim locutionem ημεραν σφαγης, *diem occisionis*, de die *epularum* nullibi, de die autem *cædis* pluries adhibitam reperiri : cf. Jerem. XII. 3; XXV. 34, etc.

Putaverim itaque JACOBUM hisce verbis alludere ad morem quo pecora, priusquam mactentur, saginantur : ita ut, quemadmodum supra *vv.* 3 et 4, aliis usus metaphoris, divinam vindictam divitibus avaris et injustis denunciavit, sic in præsenti loco eamdem divites

luxuriosos manentem per *diem occisionis* nervose subindicet. Sensum igitur hunc facio, quem in paraphrasi descripsi : *saginastis corda vestra quæ in die mactationis pinguia forent.* Hæc autem interpretatio cum contexta oratione optime quadrare videtur, et apostolicæ vituperatioui magnam vim præbere. Equidem præpositio εν quæ hic occurrit, aliquam difficultatem prima specie ipsi facessit : a qua se expediunt nonnulli statuendo hic, ut alibi, εν pro εις simpliciter positum fuisse. Quem promiscuum præpositionum usum cum rejiciant melioris notæ grammatici, maluerim locutionem *prægnantem*, ut vers. 3, denuo agnoscere : quatenus nempe *enutrire corda in die mactationis* dictum fuerit pro *enutrire corda quæ in die occisionis mactationi idonea reperiantur*. Per *diem occisionis*, sicut per *diem iræ* (Rom. II. 5) intelligitur dies *judicii* sive *adventus Domini* relate ad *malos*. Genitivus σφαγης reduci potest ad Genitivos *laxioris dependentiæ externæ* : intelligitur dies *mactationi indicta*.—Eodem prorsus modo præsens comma intellexit syrus interpres, nisi quod particulam ως tamquam genuinam receperit. Vertit enim ܘܦܢܩܬܘܢ ܦܓܪܝܟܘܢ ܐܝܟ ܕܠܝܘܡܐ ܕܢܟܣܬܐ ܀ . q. e. *et cibastis corpora vestra tamquam ad diem mactationis.*

ỳ. 6. Addixistis, et occidistis justum, et non restitit vobis.

ỳ. 6. Κατεδικάσατε, ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον· οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν.

PARAPHRASIS. *Ad necem usque oppressistis virum justum : ipse autem non resistebat vobis, nec etiamnum resistit.*

ỳ. 6. *Addixistis, et occidistis justum,* cet.) In quo situm sit flagitium illud quod in præsenti loco Apostolus divitibus exprobrat, non una est omnium sententia. Uti enim modo monebamus, non desunt interpretes qui THEOPHYLACTUM, OECUMOENIUM et BEDAM secuti, per *justum* (τον δικαιον) ipsum CHRISTUM, justum *per excellentiam*, intelligendum esse censeant, ut Act. VII. 52; cujus proinde necem divitibus Judæis a JACOBO hic imputari et exprobrari volunt. Verum quominus hanc interpretationem amplectamur plura prohibent. Et primo quidem, scribit Apostolus ad *Judæo-Christianos dispersos*, ideoque extra Hierosolymam commorantes; inter quos plures adfuisse

qui neci Domini cooperati fuissent, parum verisimile est. Deinde Scriptura mortem Salvatoris divitibus specialiori modo nullibi tribuit, sed Pharisæis et principibus sacerdotum. Tandem de *justo*, quem JACOBUS hic inducit, dicitur : *et non resistit vobis.* Græce enim Tempus præsens (ἀντιτάσσεται) occurrit : quod, ESTIO teste, in latinis manuscriptis non paucis pariter reperitur. Porro de CHRISTO, a cujus morte anni plusquam triginta jam effluxerant, dici non poterat : *non resistit vobis.* Quæ quidem difficultas OECUMOENIUM non latuit : ideo enim in h. l. scribit : *Per illud tamen quod addit* **non resistit vobis**, *communem efficit sermonem etiam ad alios qui similia a Judæis passi sunt. Fortassis autem et prophetice suam designat passionem* (1). Verum quonam fundamento nitatur hujusmodi interpretamentum, non perspicio, nec nisi ad difficultatem expediendam excogitatum videtur.

Itaque *justum* cum ESTIO potius intellexerim *pauperem probum* (צַדִּיק), variis divitum vexationibus facile obnoxium. Frequenter autem fieri ut nomen Singularis numeri cum articulo structum *sensu collectivo* significet, jam ad cap. II. 6 diximus. — Græce porro asyndetice legitur : *condemnastis, occidistis justum : non resistit vobis.* Quibus verbis Apostolus illud oppressionis genus maxime connotare voluerit, cujus jam supra (cap. II. 6) meminerat scribens : *nonne divites per potentiam opprimunt vos, et ipsi trahunt vos ad judicia?* Quamquam, ut recte animadvertit ESTIUS, verbum illud *addixistis* (κατεδικάσατε, *condemnastis*, ut Matt. XII. 7) synecdochice sic accipi potest, ut comprehendat omne genus calumniæ, violentiæ, et oppressionis, quæ interdum etiam usque ad mortis machinationem processerint.

Per hoc quod addit : *et non resistit vobis,* divitum scelus exaggerat : qui enim innocentem, et quidem non resistentem, opprimit, duplicis flagitii reus agnoscitur. Jam monuimus non Aoristum sed Præsens tempus in græco occurrere : ἀντιτάσσεται (med.). Notum autem est, nonnumquam Præsens simul Perfecti quoque aut Imperfecti habere potestatem : una nempe indicans et olim rem fuisse, et etiamnum esse, adeoque rei continuationem significans : exemplum sit illud Joh. VIII. 58 :

(1) Τῇ μέντοι ἐπιφορᾷ τῇ, οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν, ἐκοίνωσε τὸν λόγον καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους τοὺς τὰ ὅμοια παρὰ τῶν Ἰουδαίων παθόντας. Ἴσως δὲ καὶ προφητικῶς τὸ περὶ ἑαυτοῦ ὑπεμφαίνει πάθος.

πριν Αβρααμ γενεσθαι, εγω ειμι (1). Et hoc in præsenti loco obtinere putem. Significando autem justum pergere in non resistendo, innuit divitem pergere in opprimendo.

℣. 7-9. Patientes igitur estote fratres usque ad adventum Domini. Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum, et serotinum. [8] Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra : quoniam adventus Domini appropinquavit. [9] Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam assistit.

℣. 7-9. Μακροθυμήσατε οὖν, ἀδελφοί, ἕως τῆς παρουσίας τοῦ κυρίου. Ἰδοὺ ὁ γεωργὸς ἐκδέχεται τὸν τίμιον καρπὸν τῆς γῆς, μακροθυμῶν ἐπ' αὐτὸν [a] ἕως ἂν λάβῃ ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον. [8] Μακροθυμήσατε καὶ ὑμεῖς, στηρίξατε τὰς καρδίας ὑμῶν, ὅτι ἡ παρουσία τοῦ κυρίου ἤγγικε. [9] Μὴ στενάζετε κατ' ἀλλήλων, ἀδελφοί, ἵνα μὴ κριθῆτε· ἰδοὺ ὁ κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν.

Paraphrasis. *Itaque, fratres, longanimes estote usque ad adventum Domini, qui unicuique reddet secundum opera ejus. Agricolam considerate : pretiosum fructum terræ exspectat, propter ipsum longanimiter sustinens usquedum a divina largitate accipiat imbrem temporaneum et serotinum. Longanimes estote vos quoque : corda vestra robore ac constantia accingite : nam proximus est adventus Domini. Cavete, fratres, ne ingemiscatis adversus eos qui vos exercent, ne et ipsi judicium vobis assumatis : Dominus proximus est.*

(1) *Gram. Græc.* § 41. pag. 283. γ.

VARIANS LECTIO.

a) Pro ἐπ' αὐτὸν quod exhibent GK et THEOPHYLACTUS, legerim ἐπ' αὐτῷ cum AB et OECUMENIO. Vulgata autem verbum hoc omisit, licet antiquissimus codex Corbejensis illud legerit : vertit enim : *patiens in ipso*.

ỹ. 7. *Patientes igitur estote fratres usque ad adventum Domini.*) Ex denunciata iteratis vicibus (nempe *vv.* 1. 3. 4. 5) divina vindicta divitibus illis improbis *concludit* (ουν) Apostolus adhortando tum pauperes vestitu ciboque carentes, tum operarios mercede sua inique fraudatos, tum justos a divitibus diversimode afflictos atque oppressos, ut iram cohibeant et longanimiter exspectent adventum Domini qui *reddet unicuique secundum opera ejus*.

Μακροθυμειν proprie de iis dicitur qui *differunt iram* et seipsos cohibent quominus ulciscantur (Rom. II. 4); deinde autem de iis qui *leni patientique animo aliquid tolerant* : quam ultimam notionem vocem illam hic, ut et Heb. VI. 15, obtinere satis suadent allegata ab Apostolo ad μακροθυμιαν suadendam.

Adventum Domini (την παρουσιαν του κυριου) THEOPHYLACTUS et OECUMOENIUS, quos nonnulli interpretes sequuntur, in ipsa Hierosolymorum eversione atque clade a Romanis Judæis illata obtinuisse censent. Cui sententiæ quominus assentiamur duo præsertim obstant. Unum est, quod locutionem την παρουσιαν του κυριου alicubi in N. T. ad eversionem regni judaici declarandam adhibitam fuisse, nullo firmo exemplo confici posse putem : dum econtra de ultimo CHRISTI in fine sæculorum adventu si non unice, frequentissime saltem usurpetur. Alterum : semper præ oculis habendum est Apostolum ad Judæos *dispersos* jamque ad CHRISTUM conversos monita sua dirigere. Porro quodnam tantum incommodum ex redactione Judææ in provinciam Romanam passi fuerint Judæi illi, non video : minus autem adhuc comperio quamnam dolorum suorum mercedem exinde reportaverint pauperes illi ac inique vexati, quos tamen, proposito *Domini adventu*, consolari et confortare Apostolus intendit.

Itaque, interpretes plurimos secutus, *adventum Domini* hic, ut

alibi, illum intellexerim qui Matt. XXV. 31 sqq. hisce verbis describitur : *Quum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ : et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis : et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi...... dicet* autem *et his, qui a sinistris erunt : Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus.*

Neque ab illa interpretatione nos avertere debet id quod vers. seq. dicitur : *quoniam adventus Domini appropinquavit*, et *v.* 9 : *ecce judex ante januam assistit.* Huic enim difficultati optime respondere nobis videntur ea quæ LUCAS BRUGENSIS ad Matt. XXIV. 42 annotavit. Recitatis nimirum D. HIERONYMI, *comment. in Joelem cap. II*, verbis (1) : « Diem autem Domini, diem intellige judicii, sive diem exitus uniuscujusque de corpore. Quod enim in die judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur » hæc subjungit : « Pro uno itaque et eodem habetur, mortis uniuscujusque et extremi judicii dies : nam quamvis tempora diversa sint, status tamen, et causa, atque sententia eadem est, ita ut illud solum propemodum differre videantur, quod hic singuli judicentur, illic omnium simul judicia promulgentur. Sed quare igitur, in hujus generis argumento, potius nominatur dies judicii quam dies mortis? Causa est, quia in die judicii, omnes, publice judicati, perfectam pro meritis retributionem accipient : in die mortis, non omnes, sed singuli, non publice, sed occulte judicantur, nec perfecte remunerantur, sed juxta animam tantum; corporis enim remuneratio differtur in resurrectionem. Nota est autem ea sacræ Scripturæ consuetudo, qua tum potius rem fieri commemorat cum innotescit, quam cum fit : ob quam etiam, piorum præmia et supplicia impiorum adscribit diei mundi novissimo, non quod ante eum diem nihil referatur aut præmii aut supplicii, sed quod non perinde manifestum sit. Itaque cum pro uno eodemque habeantur dies mundi novissimus et dies mortis uniuscujusque, qui propter illum vigilare monentur, monentur simul propter hunc : et

(1) Opp. tom. VI. pag. 188. B.

quibus incutitur sollicitudo ob incertitudinem Dominici adventus, tam adventum in fine vitæ, quam adventum in mundi fine, ob oculos habere jubentur. » Hactenus Brugensis.

Notandum est Apostolum hic et in sequentibus Imperativos Aoristi sæpius usurpare, tum ut auditores suos *fortius* adhortetur, tum etiam, opinor, ut patientiam, quam ipsis suadet, quantumvis continuandam, ratione tamen habita præmii ipsi rependendi, quasi *momentaneam* (cf. 2. Cor. IV. 17) reputandam significet.

Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, cet.) Quia longanimitas illa ad quam Apostolus auditores suos incitat, non est res adeo facilis, ideo huic suadendæ immoratur, ad similitudines et exempla provocans. Hinc familiari comparatione e vita agresti desumpta primum utitur. Agricolam nempe exhibet qui, multis exanclatis laboribus, de messe futura nondum securus est; sed tamen propter ipsam quam sperat, patienter et longanimiter exspectat donec placuerit Deo imbrem immittere, non eum tantum qui agros irriget et fœcundet, sed et illum qui segetes ad maturitatem disponat. Sciendum quippe est omnem agriculturæ successum in Palæstina a pluviis fere pendere (cf. Isai. LV. 10); unde ipsæ inter maxima Dei beneficia computari solent (cf. Deuter. XI-14; XXVIII. 12). Verum pluvia nonnisi bis in anno frequens ibi cadit : scilicet inde a medio Octobri ad medium usque Decembrem, et vocatur imber *temporaneus*, hebraice יוֹרֶה, *irrigans*, qui terram, jacto semine, irrigat. Altera pluvia mensibus Martio et Aprili cadit : dicitur autem מַלְקוֹשׁ sive *serotina* : ipsa spicas turgescere facit et ad maturitatem perducit. Duplicis hujus pluviæ frequens in libris V. T. mentio fit : cf. Deuter. XI. 14; Jerem. V. 24; Osæ VI. 3; etc.

Locutionem επ' αυτῳ (vid. var. lect.) objectum Verbi μακροθυμων inducere plerique asserunt : quod sane orationem *tautologicam* faceret, cum jam dictum fuerit : *expectat pretiosum fructum terræ*. Maluerim igitur præpositionem επι (seq. Dativo) hic dictam esse de *causa* (ut Matt. XIX. 9; Luc. V. 5, etc.) *ob quam* quid fit : agricola nimirum longanimiter exspectat *propter fructum* quem sperat.

℣. 8. *Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra :*) Fideles hortatur Jacobus ut *et* (και inducens alterum comparationis

membrum) ipsi ad exemplum agricolæ longanimes sint, et corda sua fortitudine atque constantia accingant. — Στηριζειν καρδιαν, *cor firmum et constans reddere.*

quoniam adventus Domini appropinquavit.) Hæc est ratio quæ faciliorem efficere debeat longanimitatem, quippe quæ haud diu duratura sit : *adventus enim Domini proximus est :* quod quo sensu sit intelligendum, modo diximus. — Εγγιζειν est *appropinquare* : unde Perfectum ηγγικε valet *appropinquavit.* Quod autem *appropinquavit* jam incipit quasi adesse, ac proinde *proximus est.* Sic fit ut Perfecta multorum verborum, quorum hæc vis propria est ut actionis sive status cujuspiam inchoationem indicent, *Præsentis* significationem in usu loquendi obtineant (1).

℣. 9. *Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut non judicemini.*) Exhortationem suam, quo magis eam inculcet, sub forma *negativa* iterat Apostolus, nova pariter ratione proposita. Ratio autem hæc est, ne et ipsi propter impatientes adversus oppressores suos gemitus et querelas, judicium sibi coram Deo assumant, atque præmio sibi rependendo ex parte saltem careant. — Quod ad pronomen αλληλους attinet, non putaverim ipsum *reprocitatem* hic connotare. Jacobus quippe pauperes et oppressos directe alloquitur, qui utique cur adversus divites ingemiscerent habebant : non sic divites respectu pauperum. Itaque αλληλους hic eodem sensu intellexerim atque Matt. XXIV. 10, ubi, uti merito observat Lucas Brug. : « quod dicitur *invicem*, αλληλους *alii alios*, non intelligitur quod fidelis falsum fratrem prodet, quemadmodum falsus frater fidelem : sed quod *alii et alii*, complures falsi fratres, prodent *alios et alios*, complures, inquam, fideles. »

Ecce judex ante januam assistit.) i. e. *proximus est*, uti jam monuit. Eadem periphrasis Matt. XXIV. 33 et Marc. XIII. 29 occurrit. — Ἑστηκε, *stat.* Vide quæ ad *v.* 8. de nonnullorum Verborum Perfectis notavimus.

(1) *Gram. Græc.* §. 41. pag. 293.

℣. 10-11. Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, et patientiæ, Prophetas : qui locuti sunt in nomine Domini. 11 Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, et miserator.

℣. 10-11. Ὑπόδειγμα λάβετε, ἀδελφοί μου, τῆς κακοπαθείας καὶ τῆς μακροθυμίας τοὺς προφήτας, οἳ ἐλάλησαν τῷ ὀνόματι [a] κυρίου. 11 Ἰδοὺ μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας· [b] τὴν ὑπομονὴν Ἰὼβ ἠκούσατε καὶ τὸ τέλος κυρίου εἴδετε [c], ὅτι πολυεύσπλαγχνός ἐστι καὶ οἰκτίρμων.

Paraphrasis. *Exemplum sumite, fratres, longanimitatis in quibusvis afflictionibus, Prophetas, qui tamen tamquam legati Domini loquebantur. Ecce beatos prædicamus eos qui constantes perstiterunt. Constantiam Job audistis, et quem finem calamitatibus ejus Deus imposuerit, vidistis : amore enim et miseratione plenus est Dominus.*

VARIANS LECTIO.

a) Lectioni Complutensi suffragantur AGK et OEcumoenius ; B autem legit ἐν τῷ ὀνόματι, quam lectionem pariter exhibent versiones Syriaca, Itala et Vulgata : necnon Theophylactus.

b) Pro ὑπομένοντας quod est in GK, quodque legerunt Theophylactus et OEcumoenius, plurimique minusculi : AB ὑπομείναντας exhibent : nec aliter versiones Syriacæ et Latinæ.

c) Ἴδετε legunt AB**G, alii haud pauci et Theophylactus. εἴδετε occurrit in B*K, in aliis pluribus, itemque apud OEcumoenium.

℣. 10. *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris,* cet.) Quo magis patientiam suadeat, auditores suos ad exempla

sanctorum provocat. Prophetarum nempe in quibusvis tribulationibus constantiam, speciatim vero mirandam prorsus JOBI longanimitatem præmiumque ab eo inde reportatum, in exemplum adducit.

Pro vocibus græcis κακοπαθεια et μακροθυμια, editio nostra latina habet : *exitus mali*, *laboris*, *et patientiæ*. Notat vero ESTIUS multos codices latinos duo tantum legere : nonnullos quidem, *exitus mali et longanimitatis;* complures autem, *laboris et patientiæ;* quod in bibliis est castigationis Lovaniensis, et in prima correctione Sixtina. Nec immerito suspicatur, cum græcas voces της κακοπαθειας και της μακροθυμιας alii aliter in latinum vertissent, intempestiva scribarum diligentia factum, ut diversas interpretationes in iisdem codicibus haberemus conjunctas.

TITTMANNUS (*De Syn. in N. T.* pag. 156 et 170) voces κακοπαθεια et μακροθυμια pro synonymis habet. Vereor an recte. Etenim vox κακοπαθεια, quæ alibi in N. T. non occurrit, in versione septuaginta-virali (v. g. Malach. I. 13; 2 Macc. II. 27), et apud classicos scriptores (1) pluries eo sensu adhibita reperitur ut nonnisi *molestiam* et *afflictionem* significet absque ulla *constantiæ* aut *longanimitatis* connotatione. Et hanc quidem notionem verbo κακοπαθει, quod *v.* 13 legitur, abnegaverit nemo : ideo enim Apostolus orationem in casu commendaverit, ut *patienter* et *longanimiter* κακοπαθειαν quis sustinere possit. Addiderim SUIDAM vocem κακοπαθειαν per ταλαιπωριαν, HESYCHIUM vero per μοχθηριαν (*molestiam*) interpretari. Nil porro vetat quominus in præsenti voci huic notionem suam communem tribuamus. Nec aliter ipsam intellexit Syrus, quamvis utramque vocem non ad Prophetas, quod tamen verborum structura et scopus Apostoli suadent, sed ad ipsos fideles retulerit. Vertit quippe :
ܘܕܡܘܬܐ ܠܢܒܝܐ ܣܒܘ ܠܟܘܢ ܐܚܝ : ܠܢܓܝܪܘܬ ܪܘܚܐ ܕܐܘܠܨܢܝܟܘܢ ◆
h. e. *exemplum prophetas sumite vobis*, *fratres*, *ad longanimem tolerantiam afflictionum vestrarum.*

qui locuti sunt in nomine Domini.) Quam lectionem si secutus fueris (vid. var. lect.), sensum hunc habebis : *qui locuti sunt*

(1) SCHLEUSNER *ad h. v.* citat DIODORUM SICULUM, et DEMOSTHENEM qui alicubi dixerit : πολλας υπομενειν κακοπαθειας et την κακοπαθειαν τῳ σωματι υπενεγκειν.

auctoritate Domini (εν de *eo quo quis instructus est*), sive *tamquam legati Dei :* quo tamen non obstante, omnis generis vexationibus atque molestiis obnoxii fuere. — Si vero lectionem Complutensem prætuleris, tunc Dativum τῳ ονοματι pro Dativo *directionis* recte habueris, et sensus hic exsurget : *qui locuti sunt in nomen Domini*, sicut Luc. XVIII. 31 τα γεγραμμενα δια των προφητων τῳ υιῳ του ανθρωπου valent *quæ scripta sunt a prophetis in filium hominis*. Notum autem est ονομα per metonymiam de *persona* etiam a classicis usurpari. Cf. Act. I. 15; XXVI. 9 etc. JACOBUS itaque ad id alluserit quod STEPHANUS Judæis exprobrabat (Act. VII. 52) : *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de adventu justi.*

ỳ. 11. *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt.*) Ad proprium sensum auditores suos Apostolus hic provocat. *Ecce*, ait, *beatos prædicamus* (μακαριζομεν) *eos qui tribulationes constanti animo pertulerunt* (τους υπομειναντας : cf. var. lect.). Conclusio in promptu erat : quidni igitur et nos patienti animo quævis adversautia tolerabimus ?

Sufferentiam Job audistis, et finem Domini vidistis, cet.) Finem exhortationi suæ facturus, famosissimum ex toto veteri fœdere patientiæ in adversis documentum pro coronide auditoribus suis JACOBUS proponit. Constantiam nimirum viri sancti JOB, et exitum quem a Deo habuit, ad eorum memoriam revocat.

et finem Domini vidistis.) Existimat AUGUSTINUS, quem sequitur BEDA, novum hic ab Apostolo tradi exemplum, illud scilicet stupendum nimis quod CHRISTUS in passione sua pro suo erga nos amore exhibere dignatus est. Sic scribit S. Doctor (1) : « .... Quid ait Scriptura divina, exhortando ad patientiam et spem futurorum, non mercedem præsentium? *Patientiam Job audistis, et finem Domini vidistis.* Quare *patientiam Job*, et non, *finem ipsius Job* vidistis? Fauces aperires ad dupla ; diceres, Deo gratias, sustineam, duplum recipio sicut Job. *Patientiam Job*, *finem Domini.* Patientiam Job novimus, et finem

(1) *De Symbolo. Serm. ad catechumenos.* n. 10. Opp. tom. VI. pag. 551 sqq. Cf. *Epist. CXL* (alias CXX), *seu de gratia N. T. lib.* n. 26. tom. II. pag. 431.

Domini novimus. Quem finem Domini? *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Verba sunt Domini pendentis in ligno. »

Verum, tanti Doctoris venia dicere liceat, hæc ipsius interpretatio et fundamento firmo carere et cum contexta oratione nimis dure cohærere videtur. Et primo quidem infitiabitur nemo opportunum valde fuisse Apostolum, magnum illud patientiæ et constantiæ exemplum commemorantem, præmii quo his in terris ipsam remunerare voluit Deus, pariter meminisse : quin ideo patiendi desiderium ob mercedem temporalem tantum auditoribus suis ingerere formidaret. Deinde putaverim Apostolum, si magnum pietatis sacramentum quo Filius Dei mortem pro nobis subire dignatus est, hic significare voluisset, amplioribus verbis usurum fuisse. Tandem non video quo, admissa semel AUGUSTINI interpretatione, referri valeant illa quæ immediate sequuntur : *quoniam misericors Dominus est, et miserator;* dum econtra, posita nostra sententia, ratio (*οτι*) præclare redditur felicis illius exitus quem Deus calamitatibus JOBI fecit. Concinit Syrus qui *τελος κυριου* (Gen. *auctoris*) interpretatur : ܫܘܠܡܐ ܕܥܒܕ ܠܗ ܡܪܝܐ. h. e. *finem quem fecit ei Dominus.*— Neque hic difficultatis plus facessit illud *vidistis* quam præcedens *audistis :* eadem est enim utriusque ratio. Ἀκουειν porro de *lectoribus* usurpari, sicut *λεγειν* de *scriptoribus*, exemplis e POLYBIO et HERODOTO mutuatis probat RAPHELIUS, tom. II. pag. 749 sq. Nec alio sensu verbum *βλεπειν* adhibetur Heb. III. 19.

Ὑπομονη, ut cap. I. 3, *constantiam* proprie denotat. — *Πολυσπλαγχνος* (quod lectioni *πολυευσπλαγχνος* auctoritate longe præstat) est a *πολυς* et *σπλαγχνα* : *οικτιρμων* vero ab *οικτιρμοι*. Porro et *σπλαγχνα* et *οικτιρμοι* sæpissime respondent hebraico רַחֲמִים, *viscera*. Non vult tamen TITTMANNUS duas illas voces pro mere synonymis habere. « Nimirum, ait, ut *σπλαγχνα* proprie sunt viscera illa, nobiliora vocata, cor, pulmones, hepar et lien.... ita metaphorice de vehementioribus animi affectionibus et sensibus usurpantur, qui ex illis potissimum visceribus oriri credebantur.... Differunt igitur *σπλαγχνα* et *οικτιρμοι*. Nam illud quidem *amorem vehementiorem* quemcumque denotat.... hoc autem *misericordiam* proprie denotat, seu sensum doloris ex malis seu incommodis aliorum (1). »

(1) *De Syn. in N. T.* pag. 86 sq.

Merito prorsus ex præsenti loco duo doctrinæ capita eruit ESTIUS, cujus verba hic recitare opportunum arbitramur. « Hinc, ait ad h. l., duo discimus, adversus sectarios quosdam notanda : Primum, ea, quæ de sancto JOB scribuntur, historiam esse rei gestæ; non argumentum confictum exhortationis aut doctrinæ causa, veluti fit in comœdiis ac tragœdiis; ut Anabaptistæ volunt et veteres quidam Hebræi : nam ficta exempla serio non monent. Nec, si ficta narratio esset, conjungeret hunc virum Dominus, *Ezechiel. XIV.* 20, cum aliis duobus, quorum justitiam sibi vehementer acceptam fuisse declarat his verbis : *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas.*

« Alterum; non esse audiendum blasphemum CALVINUM, calumniantem beatum JOB, quum dicit eum cæco impetu abreptum multa impatientiæ signa edidisse. Nam si ita est, quomodo Apostolus remittit fideles ad exemplum patientiæ ejus, tamquam illustre et singulare? Non quidem negamus sanctum virum in tanta afflictione positum, et amicorum disputatione exagitatum, passum fuisse aliquid humanum, ut præ carnis infirmitate diceret aliqua non dicenda, de quibus a Domino reprehensus (cap. XL), ipse etiam se reprehendit ac pœnitentiam agit (cap. XLII) : sed ea verbis atrocibus exaggerare, quod CALVINUS facit, ab apostolico spiritu valde alienum est. »

℣. 12. Ante omnia autem fratres mei nolite jurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem sermo vester : Est, est : Non, non : ut non sub judicio decidatis.

℣. 12. Πρὸ πάντων δὲ, ἀδελφοί μου, μὴ ὀμνύετε, μήτε τὸν οὐρανὸν, μήτε τὴν γῆν, μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον· ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὒ, οὒ, ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν [a] πέσητε.

PARAPHRASIS. *Imprimis autem, fratres mei, cavete ne juretis, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque jusjurandum juretis. Sit vero vestrum Est, est; et vestrum Non, non : ne aliter condemnationem incurratis.*

VARIANS LECTIO.

---

a) Lectioni εις υποκρισιν, quæ hic occurrit, auctoritate præstat lectio ὑπὸ κρισιν quam cum Vulgata referunt AB, multi magnæ antiquitatis minusculi, et antiquæ versiones fere omnes. Nec ad contextam orationem probe quadrat Complutensis lectio.

ỳ. 12. *Ante omnia autem fratres mei nolite jurare*, cet.) Quomodo ea quæ inde a præsenti versiculo ad finem usque capitis traduntur, sive cum antecedentibus sive inter se cohæreant, frustra prorsus, opinor, quæsieris. Videtur siquidem JACOBUS, absoluto jam proprio epistolæ themate, antequam dicendi finem faceret, nonnulla CHRISTI monita, auditorum suorum necessitatibus maxime accommodata, ad ipsorum memoriam obiter revocare voluisse : quæ, utpote ab invicem omnino diversa, inter se connecti nec debebant nec poterant. Orditur porro a *juramento*, a quo fideles avertere satagit.

Ad hoc autem *transit* per verba προ παντων δε : quæ locutio rem gravioris momenti hic tradi haud dubio monet. Notum quippe est præpositionem προ translato sensu de *quavis præstantia* dici. — Verbum ομνυειν ex illa classe *intransitivorum* est, quæ in seriore græcitate et in libris N. T. tamquam *transitiva* nonnumquam tractantur, ideoque cum Accusativo construuntur; quamvis in N. T. etiam, et quidem frequentius, ομνυειν *neutraliter* adhibitum occurrat : v. g. Heb. VI. 13 ubi cum κατα, et Matt. V. 34 ubi cum εν construitur : quæ ultima structura frequentior est; refert autem hebraicam locutionem נִשְׁבַּע בְּשֵׁם יְהוָֹה (Levit. XIX. 12).

Sit autem sermo vester : Est, est : cet.) Commatis græci ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ ναὶ, καὶ τὸ οὒ οὒ, quod Latinus quidem paulo liberius reddidit, constructio grammatica hæc est : το ναι υμων ἤτω ναι, και το ου υμων ητω ου : ita ut το ναι et το ου sint *subjecta* orationis, ναι vero et ου *prædicata*. Sensum recte exprimit ESTIUS : « Sermo vester, quo quid affirmatis, sit simplex et nuda affirmatio : et sermo, quo quid negatis, sit simplex et nuda negatio. Dicit hoc

ad exclusionem juramenti. Nam affirmatio vel negatio jurata non simplex affirmatio vel negatio est.— Δε *antithesi* hic inservit.— Forma ἤτω (pro εστω), quæ pariter 1 Cor. XVI. 22 occurrit, *Dorica* est.

ut non sub judicio decidatis.) Ratio est apostolici moniti : ινα, *de fine.* — Υπο sq. Accusativo metaphorice dicitur de *potestate* sive *imperio cui quis subjicitur.* — Κρισις de *sententia condemnatoria* : quod contextus suadet.

Dubitandum porro non est quin præsens Apostoli monitum cum iis quæ eadem de re in sermone supra montem habito CHRISTUS præcepit sensu prorsus conveniat. *Audistis*, ait CHRISTUS (Matt. V. 33. sq.), *quia dictum est antiquis : Non perjurabis : reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est : neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis : neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est : non, non : quod autem his abundantius est, a malo est.*

Jam vero quonam sensu intelligendum sit hoc CHRISTI præceptum, a JACOBO denuo propositum, decernere facile non est. AUGUSTINUS certe non parvam in eo deprehendebat difficultatem. « Scio, ait S. Doctor (*de Script. Serm. CLXXX*, alias *de verbis Apost. Serm. XXVIII*, *n.* 4), scio esse difficilem quæstionem, et charitati vestræ fateor, *semper illam vitavi.* Nunc autem cum die dominico debito reddendi sermonis recitaretur eadem lectio, divinitus mihi inspiratum esse credidi, ut inde tractarem. »

Non est ergo adeo mirandum haud defuisse qui ex præsenti Domini et Apostoli effato docuerint non licere umquam jurare. Qui fuit olim error Waldensium et Wiclefistarum; et adhuc est Anabaptistarum. Attamen ex perpetuo Ecclesiæ sensu et praxi tenendum est, non ita accipienda esse illa verba ut nullo in casu juramentum licite fieri judicetur. Enimvero, ut recte animadvertit AUGUSTINUS (*Serm. cit.*, n. 2), « invenimus jurasse Sanctos, jurasse primitus ipsum Dominum, in quo non est omnino peccatum. » PAULUM pariter jurejurando pluries usum fuisse n. 5 probat. — Id etiam suadet ipsa ratio. « Juramentum enim, ut merito observat ESTIUS *in lib. III. Sent.*, dist. 39. §. 3, licitum esse *secundum se*, atque ex genere suo, tum ex origine, tum

ex fine ostenditur. Ex origine quidem; quia juramentum introductum est ex fide, qua persuasum est hominibus, penes Deum esse infallibilem veritatem, omniumque rerum notitiam et providentiam.... Ex fine vero; quia juramentum proprie ordinatur ad veritatem inter homines confirmandam, et finiendas controversias, quemadmodum Heb. VI. 16 testatur Apostolus. »

Quid igitur sibi velit urgens (*ante omnia*) illud magistri et discipuli præceptum? Fuere qui putarent non quidem juramentum, sed perjurium, *etiam per creaturas*, hic prohiberi : hoc prætendentes quod e stylo Scripturæ *jurare* pro *pejerare* nonnumquam ponatur. Quod etiamsi ipsis concederetur, verum semper maneret CHRISTI verba hujusmodi interpretationem nequaquam pati. Etenim Salvator in præsenti sermone totus est in antiquo jure emendando et jure novo perfectori ipsi sufficiendo. Verum jus antiquum perjurium, etiam per creaturas, quamvis hoc ultimum negarent Pharisæi, jam prohibebat. Nil igitur novi statuisset CHRISTUS si ultra perjurii damnationem non processisset.

Itaque alii putant non perjurium tantummodo sed etiam *juramentum per creaturas* a Domino prohiberi : et in hanc sententiam propendet D. HIERONYMUS (*in Matt. V.* 34 *sqq.*). Verumtamen nec ipsa defendi posse videtur. Ex una enim parte, juramentum per creaturas deterius non est juramento per Deum; cum per ipsas non vere juratur nisi quatenus in ipsis manifestatur veritas divina. Ex altera parte, verba CHRISTI prædictam exceptionem non admittunt. Præcipit enim ipse *non jurare omnino*, i. e., ut JACOBUS interpretatur, *non jurare ullum quodcumque juramentum :* vult autem ut sermo noster *est* sit *est* simpliciter; *non* vero *non* simpliciter.

S. BERNARDUS (*Serm.* 65 *in Cantica*, *n.* 2) existimare videtur non *præceptum* his verbis intimari, sed *consilium* tantummodo proponi. Verum hoc iterum non patiuntur verba sacra. Ecquis etiam credet ipsum CHRISTUM proprio consilio non stetisse, nec PAULUM illud servasse?

Restat igitur ut, AUGUSTINO duce, non usum juramenti indiscriminatim, sed solum ejus *abusum* prohiberi dicamus. Duo scilicet hic præstat CHRISTUS : docet primum adversus Pharisæos juramentum per creaturas eumdem sortiri effectum ac juramentum per ipsum Deum. Deinde monet, ut ipsis AUGUSTINI (*de mendacio* cap. XV. n. 28)

verbis utar : « ut, quantum in te est, non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas jusjurandum. » Quod ad se transferens S. Doctor : « quantum ad me pertinet, ait (*Serm. cit. n.* 10), juro, sed quantum mihi videtur, *magna necessitate compulsus*. Cum videro non mihi credi nisi faciam, et ei qui mihi non credit non expedire quod non credit, hac perpensa ratione et consideratione librata, cum magno timore dico, Coram Deo, aut, Testis est Deus, etc. »

Hujus porro doctrinæ rationem post S. THOMAM (2. 2. *q.* 89. *art.* 2) ESTIUS sequentibus verbis reddit : « Quod suapte natura licitum et bonum est, ait, potest cuipiam in malum cedere, si non recte utatur; ut in naturalibus ignis, vinum, pharmacum; et in spiritualibus Corpus Domini, quod qui indigne sumit, judicium sibi manducat, 1 Corinth. XI. Sic igitur et de juramento sentiendum est. Quod etsi per se bonum sit, male tamen utenti vertitur in peccatum; si videlicet absque justa necessitate, seu evidenti utilitate, vel absque debita cautela, illud usurpet. Nam priori modo peccat in Deum per irreverentiam, dum eum ita facile et ex levi causa testem inducit; quod ne homines quidem authoritate præditi erga se fieri patiuntur. Posteriori per temeritatem, qua se conjicit in periculum perjurii, quod nihilominus ad magnam divini nominis irreverentiam spectat. Cum enim in verbis facilis sit lapsus, et opinione sæpe fallamur, periculum est, ne Deum falsitatis testem adducat, qui inconsiderate ad jurandum procedit. » Hucusque ESTIUS.

Itaque, ut ipsa CHRISTI verba, ita et cum prædicta limitatione intelligenda sunt dicta nonnullorum veterum qui adversus juramentum plus æquo invehi quandoque videntur. Loquuntur nimirum de communiter contingentibus, ubi certo non expedit nec licet juramentum. Cum insuper pessima indiscriminatim jurandi consuetudo antiquitus maxime viguisse videatur, mirum non est SS. Ecclesiæ Patres durioribus verbis adversus ipsam usos fuisse. Quod tamen ad CHRYSOSTOMUM attinet, qui omnium vehementius in *Homiliis ad populum* in jurantes invehitur, quomodo excusari queat, non video. Neque hoc adeo mirabimur, si AUGUSTINI hac de re angustias, quæ in prædicto sermone continuo sese produnt, perspectas habeamus.

℣. 13. Tristatur aliquis vestrum? oret : Æquo animo est? psallat.	℣. 13. Κακοπαθεῖ τις ἐν ὑμῖν, προσευχέσθω· εὐθυμεῖ τις, ψαλλέτω.

PARAPHRASIS. *Tristatur aliquis vestrum, oret; æquo animo est, psallat.*

℣. 13. Nonnullos vitæ casus perlustrans Apostolus, quid in singulis facere debeamus, ut ipsis debite utamur et spiritualem fructum a divina Providentia intentum ex iis reportemus, breviter nunc edocet. In præsenti porro versiculo ad duos status oppositos quidem, attamen sibi invicem in homine succedere solitos, respicit : tristitiam seu dejectionem animi dico, et lætitiam seu æqualitatem mentis. In priori casu orationem ad exemplum CHRISTI (Matt. XXVI. 38-44; Luc. XXII. 41-43), in posteriori hymnos, quibus nempe lætitia ad Deum referatur, suadet.

Κακοπαθεῖν generatim est *in labore esse, male se habere*. Quum vero verbo εὐθυμεῖν (*bono hilarique animo esse*) ex adverso hic respondeat, vocem illam de *labore animi* sive de *tristitia* speciatim intellexerim.—Ψάλλειν e stylo Scripturæ de *canendis hymnis ad laudandum Deum* usurpatur.

Quod autem ad syntaxin attinet, nihil opus est has duas sententias, ut et immediate sequentem : *infirmatur quis* etc., pro *interrogativis* habere; « neque pro *Conjunctivo* adhibitus est *Indicativus*, neque ellipsis est εἰ Particulæ, verum res, quæ accidere possit, ex vivaciori sermone sumitur tamquam revera nunc accidens. Itaque in his Indicativus modus nativam suam vim obtinet. Confer illud TERENTII (*Eun.* II. 2. 21) : *Negat quis, nego : ait, aio.* Indicativum *Hypotheticum* vocat BERNHARDY, qui et hypothetici illius Indicativi usus plurima affert exempla ex Scriptoribus profanis (1). »

℣. 14-15. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent	℣. 14-15. Ἀσθενεῖ τις ἐν ὑμῖν, προσκαλεσάτω τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, καὶ

(1) *Gram. Græc.* § 42. p. 307. *adnot.* 2.

super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini :
[15] et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus : et si in peccatis sit, remittentur ei.

προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτὸν, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ κυρίου. [15] Καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα, καὶ ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος· κἂν ἁμαρτίας ᾖ πεποιηκὼς, ἀφεθήσεται αὐτῷ.

Paraphrasis. *Infirmatur quis in vobis, advocet presbyteros Ecclesiæ, qui orent super ipsum, ungendo eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvum faciet infirmum, et animum ejus allevabit Dominus, et si peccata habeat, remittentur illi.*

℣. 14-15. In duobus istis versiculis Apostolus ad statum gravis infirmitatis corporalis respicit, quidque in ipso, ex instituto Christi, fideles præstare debeant, perspicue tradit.

Hujusmodi porro præsens locus est, ut interpreti catholico non liceat unam alteramve ipsius interpretationem pro suo judicio contexere, sed stare debeat sapientissimæ illi a Tridentina Synodo statutæ regulæ, qua decernitur, *ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam scripturam sacram interpretari audeat* (Sess. IV. de Canon. Scrip.). Habemus quippe hujus loci authenticam Ecclesiæ definitionem : cujus opportunitatem, immo et necessitatem, manifestam plane faciunt contortæ ac ridiculæ prorsus Sectariorum in re tanti momenti interpretationes seu potius depravationes. Hæc est autem Ecclesiæ definitio, a Conc. Tridentino *Sess. XIV. de extr. unct.* præstita :

Canon I. Si quis dixerit, extremam unctionem non esse vere et proprie sacramentum, a Christo domino nostro institutum, et a beato

Jacobo apostolo promulgatum; sed ritum tantum acceptum a patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

CANON II. Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

CANON IV. Si quis dixerit, presbyteros ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium extremæ unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.

Tria igitur indubitata et inconcussa habemus, ad quorum normam præsentem locum interpretemur oportet, videlicet : 1° unctionem de qua JACOBUS loquitur, esse vere et proprie sacramentum, a CHRISTO Domino institutum; 2° ipsam non olim tantum exstitisse, et in sola curationum gratia constitisse : sed etiamnum perdurare, et gratiam conferre, et peccata remittere, et infirmos alleviare; 3° presbyteros quos JACOBUS nominat, intelligendos esse vere et proprie sacerdotes ab Episcopo ordinatos, qui soli sint hujus sacramenti ministri.

Unum insuper præmittendum ducimus, ad præcavendas sectariorum argutias, qui facili negotio conficientes unctionem quæ Marc. VI. 13 commemoratur, non esse proprie dictum sacramentum, ut Ecclesiæ catholicæ doctrinam impugnent, omnimodam inter prædictam unctionem et illam de qua JACOBUS agit æqualitatem statuere conantur. In hoc autem graviter errant, cum magnum inter utramque unctionem discrimen cernatur : quod non obscure innuunt Tridentini Patres, dum docent extremæ unctionis Sacramentum *apud Marcum insinuatum* (1), *per Jacobum autem fidelibus commendatum ac pro-*

(1) Quinam sensus ex mente Concilii huic voci tribuendus sit, luculenter tradit PALLAVICINUS, op. et loc. statim citandis. «Quod apte ea vox *insinuatum* apposita fuerit, difficile intellectu non est : quin e contrario, si affirmasset Synodus, Sacramentum illud fuisse institutum a Christo in eo S. Marci loco, opus non erat aliam promulgationem quærere, postquam Christus e terris abiit; cum satis fuisset, quod is Apostolis promulgasset, et in Evangelio scriptum, ac traditionibus propagatum haberetur : atque ea de causa numquam nominat Concilium bujusmodi promulgationes de reliquis Sacramentis. Sed quia *hujus Sacramenti institutio in Evangelio non est*, et quidam e scriptoribus in animum sibi induxerant, fuisse non a Christo, sed a S. Jacobo institutum, quod repugnabat superiori Concilii definitioni in sessione septima; eapropter consulto dictum est, fuisse *insinuatum*, hoc est, *adumbratum atque indicatum* a Christo in eo

mulgatum (Sess. XIV. *de extr. unct.* cap. I). Sed præstat hac de re PALLAVICINUM disserentem audire. En porro quæ scribit *Conc. Trid. Hist.* lib. XII. cap. 12. n. 12 (1) : « Magister sententiarum rite discrimen animadvertit, dum affirmans hoc Sacramentum juxta atque reliqua fuisse institutum a Christo, et a S. Jacobo tantummodo promulgatum, nullum ex laudato S. Marci testimonio argumentum traxit; quemadmodum neque pariter traxerunt ad hoc comprobandum ante illum, Hugo Victorinus, et post eumdem Alensis, S. Bonaventura, aliique Scholastici. Quin S. Thomas in eo articulo Magistri, quæstiuncula sua tertia, articulo primo, rationem reddit, cur Evangelistæ hujus Sacramenti non meminerint; adeoque pro certo ponit, non fieri de illo mentionem apud S. Marcum eo loco, cujus minime quidem oblitus fuerat, cum paulo post dixerit : *tamen de unctione olei Marcum sexto capite loqui.* Ex quo liquet, illum haud existimasse eam unctionem tamquam hujus Sacramenti usum, sed tamquam illius *prælu-dium ac figuram*, ea plane ratione quâ Concilium sentit. » Et quibusdam interjectis, prosequitur : « Addo opinionem id (nempe de Sacramento Marcum agere) negantem non persuaderi solum ex eo, quod Apostoli nondum essent sacerdotes, cum S. Marcus refert unctionem ab illis exercitam; sed quia hujusmodi unctio, quantum indicat Evangelium, sanitatem tantum corporis, et ita quidem ut numquam falleret, ægris restituebat : neque ad mortis periculo proximos coarctata erat, sed ad cæcos, ad claudos, et ad omnes ægrotos extendebatur; et etiam quia, quantum ex narrationis tenore licet conjicere, infidelibus quoque et nondum Baptismo lustratis, adeoque Sacramenti non capacibus, sanitas conferebatur. » Hactenus PALLAVICINUS.

His porro præfatis et præ oculis habitis, jam ad ipsorum verborum interpretationem accedamus, ut ope criticæ Ecclesiasticam definitionem firmissimum in sacro textu fundamentum habere ostendamus.

***Infirmatur quis in vobis?*)** Verbum illud *infirmatur* (ἀσθενεῖ)

sancti Marci loco. Quare S. Jacobus postea non instituit, sed promulgavit id quod a vero inventore atque auctore fuerat illi demandatum et injunctum : quo pacto etiam dicimus, Sacramenta novi Testamenti *fuisse in veteri insinuata et figurata.* »

(1) Versione latina P. GIATTINO (ed. Antverp. an. 1673) utimur.

interpretantur Tridentini Patres (Sess. cit. cap. III) de *infirmis, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.* Ασθενειν porro de hujusmodi infirmis etiam usurpari solere, plurimis constat exemplis: v. g. Luc. VII. 10 coll. 2; Joh. IV. 46 coll. 47; Act. IX. 37; Philip. II. 26. 27; etc. Immo vocem hanc de graviter ægrotante in præsenti loco adhiberi, haud obscure innuit vox καμνοντα quæ vers. seq. pro synonymo ponitur. Καμνειν enim proprie valet: *deficere viribus;* unde mortui dicuntur οι καμνοντες et κεκμηκοτες (Cf. TITTMANNUS, *De Syn.* p. 77). — De structura phraseos ad antecedentem vers. diximus.

inducat presbyteros Ecclesiæ.) Pro voce *inducat* græce est προσκαλεσατω (rectius προσκαλεσασθω Med.) i. e. *advocet.* — Satis mirari non possumus quî se torqueant quotquot nolunt cum Patribus Tridentinis τους πρεσβυτερους της εκκλησιας *vere et proprie dictos Sacerdotes* intelligere. Aliis siquidem non sunt nisi ætate seniores; aliis primores in quavis communitate; aliis delecti e plebe ad regendam Ecclesiam. Aliqui rem in incerto relinquunt; nec etiam desunt qui *in presbyteris Ecclesiæ* viros tantum arte medicinæ peritos agnoscant. Verum hæc interpretamenta ideo excogitarunt illi, ut facilius conficerent non verum Sacramentum a JACOBO in præsenti loco promulgari, sed ipsum intelligendum esse de ea unctione qua ævo apostolico utebantur ad morbos corporales curandos. Quos utique abunde refellemus si ostendamus ipsos et Scripturarum consuetudini adversari et falsam prorsus hypothesim statuere.

Porro Scripturarum usui repugnant. Medicos enim alicubi τους πρεσβυτερους της Εκκλησιας dictos fuisse, nullo adhuc exemplo comprobarunt. Quamvis autem ætate seniores in libris N. T. πρεσβυτεροι nonnumquam dicantur, vox tamen illa communius de *assessoribus synhedrii* ac de sacerdotibus N. L. usurpata reperitur. Verum de magistratibus Judæorum hic sermo esse nequit; neque etiam de senioribus ætate, ut ex statim dicendis patebit; restat igitur ut cum Patribus Tridentinis Sacerdotes N. L. intelligamus. Hos vero non fuisse simplices ministros de plebe selectos, absque charactere Ordinis et consecratione episcopali, non est hujus loci demonstrare.

Dixi insuper Sectarios falsa prorsus hypothesi niti, cum sumunt in præsenti JACOBI loco non agi nisi de curatione morbi corporalis: unde

iterum conficitur falsam esse notionem quam voci πρεσβυτερους hic tribuunt. Etenim, si sanationem mere corporalem significare voluit Apostolus, sanationem hanc *ordinariam*, oleo nempe tamquam naturali medio adhibito, intellexit, uti WICLEFUS opinatur; vel sanationem *extraordinariam*, h. e. ex dono Dei, ut plerique novatores defendunt, annunciavit. Si prius dixeris, quod quidem Apostolicæ gravitati parum consentaneum nemo non deprehendit, cur, quæso, non *medicos* arcessiri jubet? cur *orationem super* ægrotum et *olei unctionem* præcipiat? Notum quippe est olei usum in morbis curandis haud promiscue posse usurpari. Cur de *graviter ægrotantibus* tantum loquatur, cum in hac re præsertim principiis sit obstandum? Quo pacto tandem *remissionem peccatorum* exinde secuturam prædicet?

Si posterius admiseris, cur iterum τους πρεσβυτερους tantummodo advocandos dicat JACOBUS, cum *nec ipsi omnes*, sive eos primores in quavis communitate, sive delectos e plebe, sive ætate seniores fuisse sumas, *nec ipsi soli* curationum gratia pollerent, uti patet ex 1 Cor. XII. 9. 28. 29? Cur usum olei præcipiat, quod certe apud nonnullos miraculum obscurare natum erat? Cur infirmos id facere indistincte suadeat, cum tamen non poterant omnes sic sanari, immo nec absque præsumptione hujusmodi curationem exspectare? Quomodo tandem peccatorum remissionem inter effectus hujus curationis reponat?

Non video autem cur adversus Catholicos plurale πρεσβυτερους tantopere urgeant adversarii : cum notum sit « non ita raro pro Singulari legi adhibitus Numerus Pluralis; quo casu existimandus est scriptor locutus fuisse *generatim*, quòd rerum aut personarum, de quibus sermonem habebat, *genus* adtenderet potius quam *numerum*. Quem Pluralem non male *categoricum* vocaveris (1). » Hujus Pluralis Numeri usus exempla reperies Matt. II. 20 coll. 19; IX. 8, ubi per ανθωποις solus JESUS intelligitur; XXVII. 44 coll. Luc. XXIII. 39.

et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini :) Duo igitur infirmo præstare debet Sacerdos : *orare super eum*, et *ipsum oleo ungere*. — Quod dicitur προσευξασθωσαν επ' αυτον non valet *orent pro eo*, quod nonnullis placuit, sed, uti noster interpres

(1) *Gram. Græc.* § 27. pag. 174. 2.

seite vertit, *orent super eum* : ubi *super* (επι) referri possit ad manus orantis *super* ægrotum extensas (*Gram. Græc.* p. 459. *adnot.*). — Nec Aoristus Participii (αλειψαντες) doctrinæ catholicæ, juxta quam unctio simul atque oratio fieri debet, contrariatur : Participium enim illud nonnumquam adhibetur non de eo quod præcessit, sed *de actu contemporaneo*, præcedente ejusdem Temporis verbo Finito (προσευξασθωσαν). Cf. Act. I. 24 : και προσευξαμενοι ειπον, et XI. 30 : ο και εποιησαν αποστειλαντες, etc. — Ελαιον oleum est non qualecumque, sed ex olivis expressum. — Quod additur *in nomine Domini*, hoc valet, ut supra *v.* 10, *vice Dei*, *tamquam legati Dei*. Quo certe haud obscure innuitur institutio hujus ritus ab ipso CHRISTO profecta. Hoc ceterum sponte fluebat ex effectu *remissionis peccatorum* huic ritui ab Apostolo adscripto : cum sine gratia illa remissio fieri nequeat, et solius CHRISTI sit signo sensibili divinam annectere gratiam.

ỳ. 15. *et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit* cet.) Traduntur jam effectus quos prædicta olei unctio cum oratione conjuncta producere nata est. Illos porro sequentibus verbis declarant Tridentini Patres (cap. II) : « Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; — et ægroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando; qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda, ac labores levius fert; et tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit; — et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur. » Et revera triplex ille effectus ab Apostolo aperte hic indigitatur. Non est autem cur miremur ipsos *orationi* tribui, nulla amplius *unctionis* mentione facta. Quamvis enim *materia* ad essentiam Sacramenti non minus pertineat quam *forma*, hæc tamen aliquo sensu principaliores partes agit, quatenus materiam de se indifferentem ad *esse Sacramenti* determinat. Hinc AUGUSTINUS, *tract.* 80 *in Joh.*, « Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum. »

Oratio fidei (της πιστεως, Gen. *Originis*) est oratio a fide profecta : ut enim nos iterum recte monet AUGUSTINUS, l. c., « Unde tanta virtus aquæ ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo; *non quia dicitur, sed quia creditur?* » Intellige autem non fidem

ministri, quæ certe ad valorem Sacramenti requisita non est, sed fidem Ecclesiæ.

Σωζειν propriam suam notionem qua valet *salvum et incolumem præstare* sive *sanare* (cf. Matt. IX. 22; Luc. XVII. 19; Act. IV. 9; etc.) hic obtinet. Notandum autem est hunc effectum corporalem, quem JACOBUS declarat, non *absolutum* esse, sed *conditionatum*; sequitur nempe si *animæ saluti expedierit*. Nec mirum; cum Sacramenta ad spiritualem animæ profectum et salutem primario instituta fuere. — Εγειρειν proprie est *excitare*, moxque tropice *e sopore tarditatis et socordiæ mentem revocare*. Quo ultimo sensu Rom. XIII. 11 hæc vox occurrit; nec eam aliter interpretati sunt Patres Tridentini. Notum autem est morbum hunc effectum sæpius obtinere ut mentem aggravet et in socordiam deducat: quod quam periculosum sit, imminente jam ultimo vitæ agone, nemo non videt.

et si in peccatis sit, remittentur ei.) Græce : *et si sit peccata operatus*, *condonabitur ei*. Πεποιηκως (Partic. Perfecti ad modum Prædicati sumendum) scite hic adhibitum est ad designandam actionem quidem præteritam, suo tamen effectu adhuc perdurante. — Αφεθησεται *impersonaliter* dictum est : subjectum vero *logice* continetur in præcedenti αμαρτιας.

Dilucidis igitur verbis asseritur hic præcipuus Sacramenti effectus, remissio scilicet peccatorum : quem ne admittere cogantur adversarii, ad inauditas prorsus metaphoras recurrunt. Dicunt etenim remissionem peccatorum quam Apostolus commemorat, non esse intelligendam nisi curationem a morbis propter peccata immissis. Verum hæc interpretatio non tantum verbis sacris vim facit, et metaphoram, cujusmodi nullibi exemplum occurrit, pro lubitu fingit; sed etiam ex ipso contextu aperte refellitur. Supponit enim Apostolus αμαρτιας ab infirmo posse abesse, quum dicat : *et si in peccatis sit*. Non possunt ergo αμαρτιαι esse morbi ob peccata contracti. Secus enim sensus hic ridiculus plane exsurgeret : *et ægrotus, si sit in morbo, sanabitur ab eo*.

Satis anxie quærunt Theologi quænam peccata vi extremæ unctionis remitti valeant. Sapientissima porro ac menti Patrum Florentinorum et Tridentinorum maxime consentanea nobis videtur brevis illa ESTII ad h. l. animadversio. « Cum beatus JACOBUS, ait, generaliter nominet

peccata, non apparet ratio, cur vel ad hoc genus venialium, vel ad illud mortalium, vel ad solas peccandi inclinationes, vocabulum hoc restringatur. Quin potius ad omnia cujuscumque generis peccata, comprehensis etiam inclinationibus et affectibus vitiosis, extendendum videtur, quatenus extendi potest, *salva aliorum sacramentorum institutione ac necessitate.* »

Habemus igitur ex præsenti JACOBI pericopa omnia quæ ad verum et proprie dictum Novæ Legis Sacramentum constituendum requiruntur; videlicet : signum sensibile ex *materia* et *forma* constans; promissionem gratiæ ad triplicem effectum præstandum; ac, quod consequens est, divinam hujus ritus institutionem.

Qui porro sensum Ecclesiæ traditionalem hac de re investigare voluerit, adeat DE SAINTE BEUVE, *tract. de extr. unct.* qui in *Theol. cursu completo* MIGNE, tom. XXIV reperitur : nec tantum testimonia ille profert, sed et erudite ea discutit.—Quod ad Ecclesias et sectas orientales attinet, cf. PET. ARCUDIUM, *de concord. Ecct. Occid. et Orient. in 7 Sacr. administ.* lib. V. — RENAUDOT., *Perpét. de la foi.* tom. V. l. V. c. I. sq. — J. S. ASSEMAN., *Dissert. de Syris Nestorianis.* p. 271 - 285. — GALANUM, *Conciliationes Eccl. Armenæ cum Romana.* tom. II. p. 631 sqq. Romæ 1650. — TH. LAMY, *Dissert. de Syrorum fide* etc. p. 233 sq. Lovanii 1859.

℣. 16. Confitemini ergo [a] alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini : multum enim valet deprecatio justi assidua.

℣. 16. Ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα, καὶ εὔχεσθε ὑπὲρ ἀλλήλων, ὅπως ἰαθῆτε· πολὺ ἰσχύει δέησις δικαίου ἐνεργουμένη.

PARAPHRASIS. *Confitemini porro invicem mutuas offensas, et orate pro invicem, ut animæ vestræ sanentur : vim quippe magnam habet deprecatio justi fervens et assidua.*

VARIANS LECTIO.

a) Particulam οὖν quam Vulgata legit, Complutensis editio non exhibet,

neque TISCHENDORFIUS recepit. Haud recte, putem : cum ipsa occurrat in ABK, pluribusque versionibus antiquis; eam quoque habent nonnulli minusculi minime spernendi.

ỷ. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.*) Non me latet esse Interpretes plurimos magnique nominis Theologos qui ex præsenti Apostoli loco argumentum ducant ad probandum præceptum divinum confitendi peccata post baptismum commissa. Sed quum dogmata nostra, quæ firmissimis aliunde argumentis nituntur, non sint infirmis rationibus defendenda, nolim cum ipsis heic facere. Et quidem e Theologis video SUAREZIUM profitentem hunc locum « in rigore non omnino convincere, tum quia ibi nullum est verbum, quod in omni proprietate præceptum indicet;.... tum etiam quia non videtur JACOBUS loqui de confessione facienda sacerdoti, sed *alterutrum*, id est mutuo et ad invicem (1). » Ex interpretibus vero fatetur ESTIUS ad h. l. ceteris expositionibus suam probabilitatem non deesse; atque etiam alios peræque catholicos scriptores eas tradidisse.

Dicebam igitur infirmum videri fundamentum eorum qui ex præsenti JACOBI loco præceptum Confessionis comprobare volunt. Fundamentum enim illud in particula οὖν, cujus vim maxime urgent, præsertim reponunt : ea quippe manifestam inter hanc, quam suadet Apostolus, peccatorum confessionem et illam, cujus statim meminit, peccatorum remissionem, relationem induci prætendunt (2). Verum nil nos cogit ut οὖν pro particula *concludentis* hic habeamus : quum etiam adhiberi potuerit tamquam particula *pergentis* in adhortando, quemadmodum in Act. Apost. frequenter est *pergentis* in narrando : cf. VIII. 25; IX. 31; etc. Immo putaverim vim *conclusivam* huic particulæ in præsenti nullo pacto posse tribui. Quomodo enim Apostolus ex promissa, vi unctionis sacramentalis, remissione peccatorum, si adsint, ad præceptum Confessionis inculcandum per modum *conclusionis* deveniret?

Huic porro sententiæ non minimas angustias facit vox *alterutrum* (ἀλλήλοις) : nam fidei catholicæ dogma est peccatorum con-

(1) *De pœnitentia.* Disp. XXXV. Sect. I. n. 6.

(2) Cf. MORINUM, *de Pœnit.* lib. VIII. cap. VIII. n. IV.

fessionem nonnisi apud Sacerdotem legitime ordinatum institui posse. A qua difficultate ut se expediant, dicunt pronomen illud αλληλοις non *reciprocitatem* hic connotare, sed accipiendum esse prout exigit consequentia verborum Scripturæ divinæ. Itaque *confitemini alterutrum*, nihil est aliud nisi, Confitemini homines hominibus; qui absolutione indigetis, illis qui potestatem habent absolvendi (1). Quamvis hæc explicatio admitti posset, si jam probatum esset de confessione sacramentali JACOBUM certo agere, in præsenti tamen ipsam non valere putem. Et quidem, cur, quæso, Apostolus, cum statim presbyterorum mentionem fecisset, voce adeo ambigua ad illos designandos hic usus fuisset, cum Pronominis alicujus ope orationem suam apertam reddidisset? Deinde, sic argumentor : quando JACOBUS ait *orate pro invicem* (υπερ αλληλων), non sacerdotes tantum alloquitur, ut prædicti Auctores existimant, sed fideles generatim hortatur, cum uno tractu et absque ulla subjecti mutatione dicat : *confitemini invicem et orate pro invicem;* orationem autem *mutuam* ipsum suadere dubium esse nequit : ecquis porro credet Apostolum eamdem vocem in eodem loco in duplici sensu adeo dissimili usurpasse? Immo, sic urgere licebit : justos maxime JACOBUS hic compellat; quod satis ostendit illa quam subdit ratio : *multum enim valet deprecatio justi*, et specialis illa exhortatio pro peccatoribus deprecandi quam vers. 19 tradit. Atqui eosdem quos orare hortatur, peccata confiteri suadet : ergo non videtur hic agi de divino confessionis præcepto.

Putaverim igitur JACOBUM, dum hæc proferret, præ oculis habuisse illud CHRISTI monitum : *si dimiseritis hominibus peccata* (τα παραπτωματα) *eorum : dimittet et vobis Pater vester cœlestis delicta vestra* (Matt. VI. 14), et fideles cohortari voluisse, ut mutuas offensas (græce legitur τα παραπτωματα absque ullo Pronomine) sibi invicem confiteantur atque pro invicem Deum exorent : quod utique mutuam condonationem plurimum adjuvat. — Nec abs re forsan erit hic annotasse id quod monet TITTMANNUS, p. 47, « voci παραπτωμα proprie inesse notionem peccati, quod temere commissum est, i. e. a nolente facere injuriam. » — Ἰᾶμαι de sanitate animæ spirituali nonnumquam usurpari notum est : cf. 1 Pet. II. 24.

multum enim valet deprecatio justi assidua.) Quamvis hæc

(1) BELLARMINUS, *de Pœnit.* lib. III. cap. IV.

sententia græce antecedenti *asyndetice* jungatur, dubium tamen esse non potest quin rationem ejus reddat. — Quid sibi præcise velit vox *ενεργουμενη* quam Vulgatus *assidua* vertit, definire in promptu non est. Non apparet enim utrum vox illa *active*, an *passive* hic significet : quum illud in usu esse videatur ut Activum *ἐνεργεῖν* de *personis*, Medium vero *ενεργεισθαι* de *rebus* dicatur. Porro si *active* sumitur, sensu forsitan convenit cum Adjectivo *ενεργης*, et oratio *ενεργουμενη* erit oratio *laboriosa*, *operosa*, ac proinde *fervens et assidua*. Si vero *passive* adhibeatur, obtinere poterit sensus ille quem Hesychius huic verbo subjicit, ita ut *ενεργειν* valeat *ετοιμως πραττειν*, tuncque oratio *ενεργουμενη* oratio erit *prompto alacrique animo facta*, et consequenter *fervida*.

℣. 17-18. Elias homo erat similis nobis passibilis : et oratione oravit ut non plueret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. [18] Et rursum oravit : et cælum dedit pluviam, et terra dedit fructum suum.

℣. 17-18. Ἠλίας ἄνθρωπος ἦν ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν, καὶ προσευχῇ προσηύξατο τοῦ μὴ βρέξαι· καὶ οὐκ ἔβρεξεν ἐπὶ τῆς γῆς ἐνιαυτοὺς τρεῖς καὶ μῆνας ἕξ· [18] καὶ πάλιν προσηύξατο, καὶ ὁ οὐρανὸς ὑετὸν ἔδωκε, καὶ ἡ γῆ ἐβλάστησε τὸν καρπὸν αὐτῆς.

Paraphrasis. *Elias homo erat perinde ac nos, et effusis ad Deum precibus oravit ut non plueret : et non pluit super terram annos tres et menses sex; et tunc iterum oravit, et cælum dedit pluviam, et terra protulit fructus suos.*

℣. 17-18. *Elias homo erat similis nobis passibilis : et oratione oravit* cet.) Quod asseruerat Apostolus, *multum valet deprecatio justi assidua*, notissimo ex V. F. exemplo nunc illustrat : exemplo scilicet Eliæ qui, orationis suæ virtute, annos tres et menses sex cœlum quominus pluviam daret cohibuit : et tunc, ad meliorem frugem redeunte populo castigato, vi orationis pluviam cœli ac fructus terræ iterum a Deo impetravit. Ut autem omni exceptioni adversus

allegatum exemplum via præcludatur, auditores suos ab initio admonet JACOBUS, ELIAM hominem fuisse ejusdem prorsus nobiscum naturæ. Vox enim ομοιοπαθης, quam Vulgata vertit *similis passibilis*, proprie est *similiter affectus*, et in usu loquendi pro simplici ομοιος nonnumquam adhibetur : sic Act. XIV. 15, ubi Vulgata reddit *similes*. Non amplius occurrit in N. T.

Oratione oravit (προσευχῃ προσηυξατο), h. e. *ardenter*, *enixe oravit*. Structura hæc, qua Verbum cum derivata ab eodem verbo substantiva voce in Dativo jungitur, sæpius occurrit in versione septuaginta-virali, ubi inservit ad exprimendam Hebræorum syntaxin Infinitivi absoluti cum Verbo finito. Nec ipsis Græciæ classicis insolita est hujusmodi structura : nam PLATO scripsit (*Symp.* pag. 195. B) : φεύγων φυγῇ τὸ γῆρας (1). — Του μη βρεξαι Infinitivus est *finis* : qui Infinitivi nominascentis usus in Genitivo casu, ad finem sive scopum actionis indicandum, etiam apud scriptores profanos obtinet. — Locutionem επι της γης, pro qua Luc. IV. 25 dicitur επι πασαν την γην, de regione Palæstinensi intellexerim : quod sane in Libris Sacris inauditum non est. Terras tamen finitimas aliquid detrimenti exinde pariter accepisse ex Luc. IV. 25-26 satis constat, quum in Sarepta Sidoniæ fames viguisse ibidem innuatur.

Factum porro quod JACOBUS hic commemorat, 3 Reg. XVII. 1 narratur. Ibi tamen ELIAS siccitatem denunciasse tantum dicitur : Apostolus autem ex traditione acceperit ELIAM vi orationis suæ id a Deo impetrasse, ut nempe se verum prophetam ostenderet, regemque impium cum populo ad idola deflectentem castigaret et ad veri Dei cultum sic reduceret. Ceterum notum est Prophetas et Apostolos miraculis suis orationem præmittere consuevisse : quod et ipse CHRISTUS ad nostram doctrinam pluries præstitit.

Major difficultas in eo apparet quod 3 Reg. XVIII. 1 legitur : *Post dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio dicens : Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ;* cum tamen asserat JACOBUS, post ipsum CHRISTUM (Luc. IV. 25), *annos tres et menses sex* cœlum clausum fuisse. — Ad hanc difficultatem solvendam interpretes diversas ineunt vias. Alii dicunt annos in libro Regum non a siccitatis initio sed a tempore ex quo ELIAS Sarep-

(1) *Gram. Græc.* § 58. pag. 483. 3.

tam venit computari : porro, aiunt, jam annum fere in torrente Carith degerat Propheta, quando Sareptanam viduam adiit. — Alii putant non a siccitate iterum sed ab incœpta fame, quæ nonnisi annum circiter post siccitatem obtinnerit, annum tertium ibidem computari. — Alii tandem prædicti discriminis rationem repetunt ex more Hebræorum qui incœptos aut imperfectos annos modo prorsus omittunt, modo vero pro perfectis annis numerant. Exemplum sumunt ex 3 Reg. II. 11 ubi DAVID dicitur *septem annos* in Hebron regnasse, quod 1 Paralip. XXIX. 27 iterum asseritur; quum tamen hujus libri cap. III. 4 *annos septem et menses sex* ibidem regnasse tradatur.

℣. 18. *Et rursum oravit : et cœlum dedit pluviam* cet.) Peracto stupendo miraculo, populoque exclamante : *Dominus ipse est Deus ;* occisis insuper Baal prophetis, ELIAS, divino fidens promisso, in verticem Carmeli ascendit, ibique oratione *septies*, ut videtur (cf. 3 Reg. XVIII. 42 sqq.), repetita, grandem a Deo impetrat pluviam. — Pro Aoristi forma εβλαστησε veteres forma εβλαστε utebantur.

℣. 19-20. Fratres mei, si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum : [20] scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum.

℣. 19-20. Ἀδελφοὶ, ἐάν τις ἐν ὑμῖν πλανηθῇ ἀπὸ τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπιστρέψῃ τις αὐτὸν, [20] γινωσκέτω ὅτι ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ, σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου, καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν.

PARAPHRASIS. *Fratres, si quis vestrum a recto tramite aberraverit, ad hunc autem ipsum quis converterit, sciat iste quod quicumque peccatorem a perversa, in qua errabat, via converterit, animam salvabit, et operiet multitudinem peccatorum.*

℣. **19-20.** Fideles nonnulli in hanc forsan sententiam facile devenissent, ut putarent nonnisi pro fidelibus et justis sibi esse orandum. Ad quem errorem præcavendum aut tollendum, Apostolus ipsos hortatur ut peccatorum conversionem procurare satagant, hujusque conversionis exitum apostolico spiritu condigne denunciat.

Veritatem (αληθειαν) hoc loco intellexerim *legem religiosam atque moralem, quæ sit homini recte agendi norma.* Et hunc quidem sensum vocem αληθειαν pati ex loquendi usu Hebræorum, qui vocem אֱמֶת hoc sensu adhibebant (cf. Ezech. XVIII. 6 coll. 5) certis exemplis constat. Sic Joh. III. 19. 20 : *Omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus : qui autem facit veritatem* (αληθειαν), *venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* PAULUS pariter (1 Cor. XIII. 6) : *non gaudet super iniquitate* (αδικια), *congaudet autem veritati* (αληθεια). Vocem porro αληθειαν prædictum sensum hic obtinere, illud mihi suadet quod *v.* 20 errantem a veritate non *infidelem* sed *peccatorem* (αμαρτωλον) Apostolus vocet. — Hanc, quam dixi, legem religiosam et moralem JACOBUS metaphorice spectat tamquam *rectam viam*, a qua *aberrat* quisquis contra ipsam facit : ad quam vero *reducitur* et *convertitur* quisquis a peccato retrahitur. — Πλανηθη Aoristus I Passivus cum significatione *media*.

℣. **20.** *scire debet quoniam qui converti fecerit peccatorem* cet.) Græca sic sonant : *sciat* (is nempe qui fratrem converterit) *quod qui converterit peccatorem ab erratione viæ quam sequebatur* (εκ πλανης οδου αυτου) etc. — Duo autem sunt quæ fideles maxime incitare debent ad conversionem peccatorum procurandam :

salvabit animam ejus a morte.) Græce legitur : σωσει ψυχην, absque Articulo et Pronomine; ideoque Gallice recte verteris : *il sauvera une âme*, quod certe emphasi, pretio ac dignitati animæ declarandis idonea, non caret. — Per *mortem* intelligenda hic est mors spiritualis animæ, quæ in præsenti in privatione gratiæ sanctificantis consistit, quamque iu futuro subsecutura est æterna visionis beatificæ privatio.

et operiet multitudinem peccatorum.) Hæc ultima JACOBI verba magna laborant obscuritate. Non enim liquet utrum peccata illius qui

convertitur, quod ESTIO placuit, an vero etiam peccata illius qui peccatorem convertit, ut BEDA sentire videtur, Apostolus hic intellexerit. Si prius quidem dixeris, apostolica oratio tautologia quadam non carebit, quum non possit anima salvari a morte quin peccata ejus deleantur. Si posterius admiseris, satis dura apparebit JACOBI oratio, quum justos hic alloquatur, et vox αμαρτια de gravioribus offensis usurpari soleat. Certe, si aliquo exemplo firmare possem notionem eam quam Verbo καλυπτειν WALH tribuit, qua valeret *supprimere*, *impedire*, non dubitarem ipsam in præsenti accipere, sensumque hunc apertissimum eruerem : *et il empêchera une multitude de péchés :* illa nimirum impediet quæ peccator iterum admisisset, et quod ab aliis admitterentur causa fuisset. Utraque vox græca Articulo caret, ideoque huic interpretationi multum favet. Addiderim ipsam contextæ orationi optime convenire : nec minimum præbet animæ fideli, quæ Deum diligit, incitamentum ad conversionem peccatorum procurandam hujusmodi motivum. Neque hic sensus alienus esset a mente PETRI, qui eadem verba (Ep. IV. 8) usurpat : *Ante omnia autem, mutuam in vobismet ipsis charitatem continuam habentes : quia charitas operit multitudinem peccatorum*. Verissimum enim est charitatem erga proximum innumera peccata *præcavere* et *impedire :* ideoque testatur PAULUS : *qui diligit proximum, legem implevit* (Rom. XIII. 8).



EPISTOLÆ S. JACOBI

PARAPHRASIS CONTINUA.

JACOBUS, Dei ac Domini JESU CHRISTI servus, Judæo-Christianis Cap.
omnibus per varia loca dispersis salutem adprecatur. I.

Summo gaudio locum esse existimate, fratres mei, quotiescumque variis tribulationibus affligi vobis acciderit: quippe qui scitis quod illud ipsum, quo fides vestra probatur, constantiam efficiat. Constantia autem vestra opus suum ad finem usque perducat: ut in adventu Domini inveniamini undique perfecti atque integri, nulla re, quæ ad salutem requisita sit, destituti. Si quis autem vestrum indiget sapientia, qua afflictionum utilitatem atque pretium rite æstimare valeat, ipsam postulet a Deo, qui lubenti ac benevola mente dat omnibus, nec, hominum more, semel concessa exprobrat: et dabitur illi sapientia. Sed postulet cum fide firma, nihil prorsus addubitans. Qui enim hæsitanter rogat, propter instabilitatem suam similis est fluctui maris vehementi tempestate huc et illuc jactato. Cum ergo non nisi constanti et perseveranti orationi repromissio facta sit, non existimet homo ille quod accepturus sit aliquid a Domino. Nec tantum in oratione sed et in omnibus consiliis suis anceps animus inconstans est.

Lætabundus porro glorietur de exaltatione sibi reservata frater in abjectam paupertatem propter Christum redactus; dives autem glorietur et ipse, si lubeat; sciat tamen se non habere unde glorietur, nisi de misera conditione sua, quippe qui tamquam flos graminis evanescet. Sol siquidem exortus est, simulque cum eo ventus urens;

et gramen adussit, et flos graminis decidit, et periit decora species ejus : sic et dives, dum per florida incedit itinera, subito marcescet.

Beatus vir qui tentationi non cedit : quia, probatus et fidelis repertus, accipiet præclaram illam coronam, vitam dico æternam, quam Deus veris Christianis repromisit. Nemo tamen cum tentatur dicat : a Deo tentor : Deus enim, ut ad ea quæ mala sunt sollicitari ipse nequit, ita nec homines ad hæc sollicitat. Sed unusquisque tentatur a sua concupiscentia, dum nempe per eam a bono abstrahitur et ad malum allicitur. Concupiscentia porro simul atque aliqualem mentis adhæsionem provocaverit, jam peccatum parit : peccatum vero statim ut perfectum fuerit, perfecto scilicet mentis assensu, mortem infert animæ. Absit procul a vobis, fratres mei dilecti, error ille quo Deum tentationum auctorem reputaretis. Econtra quidquid est boni, quidquid perfecti, cœlitus descendit, videlicet a Patre luminum, cui nulla inest mutatio, immo nec mutationis umbra; qui proinde homines ad malum incitare nequit. Ipse gratuito prorsus benignitatis suæ decreto regeneravit nos per verbum veritatis, quod est Evangelium; idque ut essemus veluti primitiæ sive pars aliqua præcipua creaturarum suarum, hominum dico.

Hoc scitis, fratres mei dilecti. Sit porro quivis homo celer ad audiendum verbum illud veritatis; tardus autem et providus ad illud proferendum, ut sic ad iram non deveniat. Vir quippe iratus longe est ab illa justitia quam Deus a nobis requirit.

Itaque, abjecta omni carnis immunditia, omnique animi malitia, cum omni spiritus modestia suscipite doctrinam vobis traditam, quæ animabus vestris æternam valet afferre salutem. Ad hoc autem ea, quæ lex Evangelica jubet, opere præstetis necesse est, et non auditores tantum hujus legis sitis, vosmetipsos graviter decipientes. Nam si quis legis quidem cognitionem habeat, eam vero opere adimplere non satagat, is similis est viro qui faciem suam in speculo

obiter tantum conspicit : qui scilicet semetipsum consideravit, et statim abiit, ideoque statim oblitus est qualis esset, ac proinde nullum exinde commodum reportavit. Qui vero incubuerit in legem perfectam, quæ est lex veræ libertatis, et inhæserit ei, non mera cognitione, quæ cito oblivioni datur, contentus; sed ea, quorum cognitionem adeptus est, exsecutioni mandans, hic utique beatus erit eo quod legi obsecutus fuerit. Itaque, si quis putat se verum Dei cultorem esse, quamquam linguam suam non refrenet sed cor suum decipiat, sciat religionem suam omni effectu carituram. Religio sincera ac perfecta coram Deo et Patre, in hoc sita est : ut pupillis et viduis in tribulationibus eorum prospicias, et a contagione mundi teipsum incontaminatum serves.

Fratres mei, cavete ne simul cum fide Domini nostri JESU CHRISTI, Cap. Domini, inquam, gloriæ, vitium acceptionis personarum consociare II. velitis. Etenim, ut exemplo utar, si ingrediatur conventum vestrum sacrum vir aureis annulis ornatus, et splendida veste indutus; ingrediatur vero etiam pauper indutus vili ac sordida veste; et si cum nescio qua admiratione eum, qui vestem illam præclaram gerit, solius splendoris ejus causa, contemplemini et dicatis ei : considas hic, commode et honorate; pauperi vero, solius vilis vestitus ejus habita ratione, dicatis : tu illic consistas, vel hic sub scabellum pedum meorum considas : nonne in vobismetipsis dijudicastis, et iniqui judices facti estis?

Audite, fratres mei dilecti : nonne Deus sibi elegit pauperes mundi, qui fide divites forent et heredes regni quod repromisit diligentibus se? Et vos, contrariam prorsus rationem secuti, pauperem contemptui habetis! Quid est porro in divitibus quod vos adeo alliciat? Nonne ipsi tyrannidem exercent adversum vos, ipsique ad paganorum tribunalia vos rapiunt? Nonne ipsi blasphemant aut actione sua diffamant honorificum illud nomen, de quo Christiani

33

vocati estis? Si tamen nil aliud intenditis divites honore prosequendo, quam adimplere præstantissimum illud Domini mandatum : *Diliges proximum tuum sicut teipsum*, bene facitis. Si vero in hoc personas accipitis, utique peccatum admittitis, lege vos arguente tamquam violatores.

Neque putetis leve quid esse in hoc uno legem transgredi : quicumque enim, servatis ceteris omnibus legis mandatis, unum tantum transgressus fuerit, quasi omnia violaverit reatu tenetur. Nam qui dixit : *non mœchaberis*, dixit pariter : *non occides*. Quod si non mœchatus quidem, occidas tamen, factus es simpliciter transgressor legis atque contemptor legislatoris.

Sic loquimini et sic agite, tamquam qui per legem evangelicam, quæ ceteroquin veræ libertatis lex est, judicandi sitis. Judicium quippe absque misericordia erit respectu illius qui erga proximum misericordem se non exhibuerit : misericordia vero præstita judicium superat ac vincit.

Quænam est utilitas, fratres mei, si fidem dicat aliquis se habere, opera vera bona non curet? Numquid potest ipsum sua fides salvum facere? Si, exempli causa, frater aut soror vestitu et victu diurno careat, dicat porro aliquis vestrum ipsis : omnia prospera sint vobis; habeatis quo vos ipsos vestire ac nutrire possitis : non dederitis autem illis ea quæ corpori tegendo et alendo necessaria sunt, quid, quæso, egentibus proderit vestra hujusmodi compassio? Sic et fides, si sit operum vacua, mortua est utpote solitaria, et nihil quidquam proderit. Equidem gloriaris tu quod fidem habeas licet opera non cures; verum poterit aliquis hoc modo derisorie te compellare : tu fidem te habere dicis, ego autem opera habeo. Ostende mihi, quæso, si potes, fidem tuam sine operibus : ego vero ostendam tibi fidem meam ex operibus meis. Utique tu credis Deum

unum esse : et in hoc bene agis; verum dæmones etiam id credunt, indeque timore perfunduntur. Vis porro, o homo de inani fide inaniter glorians, ex Scripturis ipsis addiscere quod fides absque operibus mortua sit? ABRAHAM pater noster secundum carnem et justificationis nostræ exemplar, nonne ex operibus justitiam adeptus est, quum nempe ISAAC filium suum super altare Deo obtulisset? Videsne et fidem operibus ejus cooperatam esse, et vicissim ex operibus fidem perfectam fuisse? Sicque suppleta est Scriptura illa quæ dicit : *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam;* et amicus Dei singularis effectus est. Videtisne ex operibus justificari hominem et non ex fide tantum? Immo, RAHAB meretrix nonne et ipsa haud. sine operibus justificationis gratiam primum adepta est, nunciis nempe hospitio benigne susceptis atque alia via secure dimissis? Quemadmodum enim corpus sine spiritu mortuum est : ita et fides cui desunt opera mortua est.

Ne multi ex vobis, fratres mei, magistri fieri aspirent, quippe qui Cap.
scitis quod nos magistri severiori plectemur sententia, si nempe III.
in illo munere obeundo defecerimus. Hoc autem facillime contingere potest. In multis enim offendimus omnes quotquot sumus : sed maxime in lingua; adeo ut si quis in verbis suis non offendat, hic perfectus censeatur vir, utpote qui potens sit et totum corpus suum debite moderari. Neque hoc est adeo mirandum. Quod si, ut exemplis utar, equis frena in ora injicimus, ut nobis obediant : totum simul ipsorum corpus moderamur et circumagimus. En etiam naves, licet tantæ magnitudinis sint, et a ventis validis exagitentur, modico gubernaculo circumferuntur quocumque gubernator decreverit sic et lingua pusillum quidem membrum est, sed magna efficit. Ecce, modicus ignis quantam silvam incendere potest! Utique lingua ignis est, lingua, mundus ille iniquitatis.

Lingua nimirum hanc inter membra nostra vicem gerit ut totum

corpus peccatis coinquinet, et totum vitæ decursum inflammet, et inflammetur ipsa a diabolo. Etenim, dum omnis, qualiscumque ea sit, natura tam ferarum quam volucrum, tam serpentium quam marinarum belluarum, humana solertia domatur: linguam tamen nullus hominum domare valet. Instabile malum est lingua, lethifero veneno referta est. Per ipsam Deum eumque Patrem collaudamus ac deprecamur, atque per ipsam hominibus, qui ad similitudinem Dei facti sunt, mala imprecamur. Ex eodem ore benedictio et maledictio procedunt. Non possunt, fratres dilecti, talia fieri. Numquid enim fons ex eodem foramine dulcem fundit et amaram? Numquid potest, fratres, ficus olivas proferre, aut vitis ficus? Nec aqua salsa dulcis effici potest.

Estne aliquis inter vos sapientia et prudentia illa, quæ magistro inesse debet, præditus? Ostendat ipse ex recta conversatione opera sua cum mansuetudine, quæ veræ sapientiæ propria est, conjuncta. Si vero invidiam et vitiosam æmulationem in animo geritis, nolite vos sapientes reputare : quod impudens gloriatio atque mendacium foret. Non enim ea est hæc sapientia vestra quæ desursum sit, sed terrena, humana dico, immo et diabolica. Nam ubicumque viget invidiosa æmulatio, ibi quoque perturbatio et omne genus operis pravi : quod utrumque aversatur Deus. Sapientia vero quæ desursum venit, primum quidem est omnis vitii expers : est insuper pacis studiosa, modesta, bonis suasionibus facile consentiens, plena miserationis affectibus et fructibus, nec personarum acceptionem nec simulationem admittens. Fructus porro debitus, pax inquam, seminatur et præparatur iis qui pacifici fuerint.

Cap. Undenam contentiones, undenam lites inter vos exsurgant? Nonne
IV. exinde, ex pravis cupiditatibus, dico, quæ secum invicem pugnant in membris vestris? Concupiscitis, et non habetis unde cupiditates vestras expleatis; ideo ad necem usque iis æmulamini qui ea habent

quæ vos habere cupitis, necdum sic assequi potestis id quod concupiscitis. Hinc ad lites et contentiones devenitis. Equidem non habetis omnia quibus indigetis : sed ideo ea non habetis quia a Deo non postulatis; aut etiam postulatis nec tamen accipitis, quia male petitis, eo scilicet fine ut ea quæ assecuti fueritis in cupiditates vestras impendatis. Adulteri, nescitis quod dilectio mundi ejusque voluptatum, inimicitia sit erga Deum? Quicumque igitur ea quæ mundi sunt diligere voluerit, inimicus Dei constituitur. Aut putatis Scripturam incassum proferre, quod ad zelotypiam usque desiderio nostri teneatur Spiritus Sanctus, qui habitare dignatus est in nobis?

Verum, si vultis, majorem concupiscentiis vestris gratiam dat vobis Spiritus Sanctus. Ideo Scriptura dicit : ***Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*** Itaque subjicite vos Deo ejusque mandatis : resistite diabolo et suggestionibus ejus, et fugiet a vobis confusus. Pia mente convertimini ad Deum, et ipse opem afferet vobis. Emundate manus vestras, peccatores, ab operibus pravis; munda facite corda vestra a cupiditatibus malis, viri Deum inter et mundum divisi. Ad hoc autem opera pœnitentiæ suscipite; lugete et plorate; risui vestro succedat luctus, et lætitiæ mœsta tristitia. Sic humiliate vos coram Domino, et ipse eriget et exaltabit vos.

Sedulo cavete, fratres, ne vobis invicem obloquamini. Qui enim fratri obloquitur eumque criminatur, ipsi legi, quam frater ex conscientia servandam ducit, obtrectat, ipsamque legem tamquam malam traducit. Si autem legem condemnas, jam obsequium non præstas legi, sed judicium in ipsam exerces. Unus porro est legislator et judex, ille nempe qui potestatem habet salvandi et perdendi. Tu autem quis tandem es tu qui non dubitas proximum condemnare?

Age nunc, qui dicere soletis : hodie aut cras proficiscemur in hancce illamve civitatem, et transigemus ibi annum integrum, et

mercaturam faciemus, et lucrabimur (vos qui nescitis quid allatura sit crastina dies! Quid est enim vita vestra? nam vapor estis, vapor, inquam, qui ad breve tempus comparet, et illico evanescit!), quum potius dicere deberetis : si Dominus voluerit et vivemus, faciemus hoc vel illud.... Nunc vero gloriamini vobisque placetis in vestra jactantia. Omnis porro hujuscemodi jactabunda gloriatio prava est.

Itaque scienti bonum quod facere oportet, et nihilominus non facienti, omissio hæc in peccatum reputabitur.

Cap. V. Agite nunc, divites, plorate et ululate super calamitatibus quæ vobis imminent! Et merito quidem. Etenim uberrimæ fruges vestræ præ abundantia in horreis putrefactæ sunt; vestimenta vestra, utpote quæ præ multitudine vix semel gestari poterant, tinearum epulæ factæ sunt; pecunia vestra magnam partem, præ nimia copia, manibus diu haud versata, ærugine obducta est; et ærugo ejus testimonium adversum vos dicet, tenacitatem vestram redarguens, et tamquam ignis carnes vestras depascet et devorabit. Coacervastis vobis thesaurum divinæ iræ in ultima die in vos effundendæ. Ecce, merces operariis, qui campos vestros messuere, debita, at inique detenta a vobis, Dei vindictam clamat : et clamores messorum illorum in aures Domini Dei exercituum penetrarunt. In deliciis vixistis super terram et luxuriati estis : saginastis corda vestra quæ pinguia forent in die mactationis. Ad necem usque oppressistis virum justum : ipse autem non resistebat vobis, nec etiamnum resistit.


Itaque, fratres, longanimes estote usque ad adventum Domini, qui unicuique reddet secundum opera ejus. Agricolam considerate : pretiosum fructum terræ exspectat, propter ipsum longanimiter sustinens usquedum a divina largitate accipiat imbrem temporaneum et serotinum. Longanimes estote vos quoque : corda vestra robore ac constantia accingite : nam proximus est adventus Domini. Cavete, fratres, ne ingemiscatis adversus eos qui vos exercent, ne et ipsi

judicium vobis assumatis : Dominus proximus est. Exemplum sumite, fratres, longanimitatis in quibusvis afflictionibus, Prophetas, qui tamen tamquam legati Domini loquebantur. Ecce beatos prædicamus eos qui constantes perstiterunt. Constantiam JOB audistis, et quem finem calamitatibus ejus Deus imposuerit, vidistis : amore enim et miseratione plenus est Dominus.

Imprimis autem, fratres mei, cavete ne juretis, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque jusjurandum juretis. Sit vero vestrum Est, est; et vestrum Non, non : ne aliter condemnationem incurratis.

Tristatur aliquis vestrum, oret; æquo animo est, psallat. Infirmatur quis in vobis, advocet presbyteros Ecclesiæ, qui orent super ipsum, ungendo eum oleo in nomine Domini : et oratio fidei salvum faciet infirmum, et animum ejus allevabit Dominus, et si peccata habeat, remittentur illi.

Confitemini porro invicem mutuas offensas, et orate pro invicem, ut animæ vestræ sanentur : vim quippe magnam habet deprecatio justi fervens et assidua. ELIAS homo erat perinde ac nos, et effusis ad Deum precibus oravit ut non plueret : et non pluit super terram annos tres et menses sex; et tunc iterum oravit, et cœlum dedit pluviam, et terra protulit fructus suos. Fratres, si quis vestrum a recto tramite aberraverit, ad hunc autem ipsum quis converterit, sciat iste quod quicumque peccatorem a perversa, in qua errabat, via converterit, animam salvabit, et operiet multitudinem peccatorum.



INDEX

RERUM ATQUE VERBORUM NOTABILIUM ET LOCORUM S. SCRIPTURÆ QUÆ OBITER PLUS MINUS ILLUSTRANTUR.







